


Antonine
lib. III


B
779





WV


WV












Joh. Fried. Schwartz
1777.



4
V. ILLVSTRIS
BILIBALDI PIRCKHEIMERI
Consiliarij Cæsarei & Patricij
Norimbergensis

DISSERTATIO


De

MARIA MAGDA-
LENA,

*Quod falso à quibusdam habeatur
pro illa peccatrice seu πόρνη.*

Accessit de eadem Quæstione
Uberior Disquisitio

NICOLAI BARINGII,
S. Theol. Doctorandi, & Eccle-
siaz Hannoverani.



HANNOVERÆ,
Typis JOHAN-FRIDERICI GLASERI,
Anno c^o l^o c^o XLIV.



*Admodum Reverendo, Amplissimo &
Spectatissimo VIRO,*

DN. JOHANNI KIZOVIO,
Imper. Cœnobij Loc CENSIS Abbati
merit^{mo}.

Dn. Compatri & Patrono suo pl. venerando.

NEC NON

Reverendis doct^{is}. humanissimisq^{ue} VIRIS,

DN. BURCHARDO BEINSEN, Priori,

DN. JOHANNI ENGELCKING,
Provisori,

DN. ANTONIO TURNOVIO, Pastori,

DN. HERMANNO PLAGGIO

&

DN. CASPARO RHODEN.


Ejusdem Monasterij conventualibus

Dnn. amicis & fautoribus suis honorandis

*Mox subsequentem PIRCHAIMERI
dissertationem*

D. D. D.

NICOLAUS BARINGIUS.



Amet si ea veritatis sit
 conditio, ut impugnata
 & oppressa magis nite-
 at ac elucescat, utpote
 immortalis ac simplex,
 nullius indiga adminiculi, nullo fuco ex-
 ternoq; lenocinio instrui cupiens, o-
 mnem ornatum phaleratasq; argutias
 tanquam aliena respuens: Econtrario
 verò falsitas, etsi omni dexteritate in-
 genij defensetur ac tueatur, suapte tan-
 dem sponte defluat ac consenescat, quan-
 doquidem ficta & simulata brevi tem-
 pore durare possunt: Cernere tamen ple-
 rumque est, ita longævum inolevisse
 errorem, mendaciumq; tam altas ac fir-
 mas egisse radices, ut nec veritatis splen-
 dore falsitatis tenebra illuminari, seu
 fictionis stipites facile extirpari va-
 leant. Cujus rei potissima causa esse de-
 prehenditur, quod dubia pro certis, fal-
 saq; pro veris nonnunquam recipiun-
 tur, ac ita pertinaciter hominum men-

tibus insident, ut oraculi divini instar
 habeantur. Proinde error hic tolerabi-
 lior forsitan esset, si in rebus prophanis
 & parvi momenti tantum versaretur:
 ceterū cum in divinis tandem ac piis la-
 bimur & decipimur, lubentesq; majorum
 errata amplectimur, tum nullum excu-
 sationis genus reliquum manet: maxi-
 me, si admixta mendacio impudentissi-
 ma subolet impietas, quando quidem nil
 tam alienū à sapiente est, quam aut fal-
 sum sentire, aut quod non satis explo-
 rate perceptum sit & cognitum, sine ulla
 dubitatione defendere. Decet igitur nos
 universum laborem & ingenium no-
 strum, ad inquirendā veritatis studium
 conferre. Cuius & apud gentiles tanta
 fuit auctoritas, ut in ea summi boni præ-
 mium esse prædicarent. Verum enimue-
 ro, quidā pusilli ac timidi ingenii homi-
 nes, ad eos desperationis pervenere ter-
 minos, ut nos maioribus nostris nil meli-
 us invenire, seu verius discernere posse,
 non solum credant, sed & vehementer
 contendant, piaculique loco ducant, si
 quis à priscorum doctrina vel digitum
 trans-

transverse declinare audeat. Qui se
 considerassent, rerum uaturam non pe-
 nitus defecisse, vel longo temporis
 aeo consenuisse, sed quotidie miranda
 ac inaudita producere, quin potius
 largitorem omnium bonorum Deum,
 nunc quoque vivere, ac unicuique
 secundum magnam misericordiam su-
 am tribuere posse, minime in aliis repre-
 henderent, quæ ipsi ingenii tarditate, ne
 dicam inertia consequi iam pridem de-
 sperarunt.

Igitur cum uniuersæ uia Domini
 misericordia existant & ueritas, nec sit
 cum ea iniquum quicquam, Dominus-
 que in Euangelio clamet, petite & dabi-
 tur uobis, querite & inuenietis, pulsate
 & aperietur uobis, veri Dei confisus au-
 xilio, diuæq; Mariæ Magdalena patroci-
 nio suffultus, etsi pollutis labiis, ac im-
 puro ore, inueteratum tamen iam diu
 & receptum errorem explodere cona-
 bor, manifesteq; me ostensurum spero, di-
 gnissimam ac sanctissimam illam Ma-
 gdaenam omni honoris preconio lau-
 dandam & excolendam, non solum à fe-

do luxuriæ crimine ac turpi labe puram
& alienam esse, sed nephande ac falso
impudicitia argui, tantaq; noxia fœmi-
nam sanctissimam penitus carere.

Ceterum ut planius calumniam
tam insignem refellere valeam, sub ini-
tium & ante omnia originem improbi
figmenti considerare necesse erit. Sic e-
nim, ut arbitror, lucidius ac clarius error
patebit.

Equidem mihi Luca Evangelium mi-
nus rectè examinatum inusta nota occa-
sionem præstitisse videtur. Cum enim
illic legatur, mulierem peccatricem in
Pharisæi domo Salvatoris nostri pedes
unxisse, Iohannesque Mariam illud i-
dem Bethania fecisse referat, parum illi
considerati homines, unam ac eandem
mulierem, peccatricem scilicet ac Mari-
am fuisse existimarunt, tanquam muli-
eres diversæ, unum ac idem officium, illo
ævo admodum frequens & usitatum,
perficere nō potuissent: Quod si pressius
Euangelica historia seriem perpendis-
sent, luce meridiana clarius cernere po-
tuisent, Magdalenam apud Ioānem sex
solum.

solummodo dies ante Pascha, opus illud
 perpetrasse: Luca verò peccatricem, non
 solum ante Dominica passionis dies ali-
 quot, sed & annos officium suum pere-
 gisse. Quicquid enim Evangelica histo-
 ria post peccatricis unctionem continet,
 id procul dubio eo quoque ordine, ut refer-
 tur, deinde gestum est. Quanta verò &
 quam miranda ab humani generis re-
 demptore, postea ad passionem usque a-
 cta sint, utrumque tam brevi tempore,
 h. e. diebus sex hæc omnia fieri potuis-
 sent, unus quisque sana mentis homo faci-
 limè perpendere potest. Accedit quod Lu-
 cas peccatricis nomen supprimit, Maria
 verò Magdalena confestim sequenti ca-
 pite mentionem facit quod procul dubio
 haud fecisset, si Magdalena illa peccatrix
 fuisset. Eodem enim pacto, quo septem
 demonia à Maria eiecta scribit, ita si
 una & eadem fuisset, peccatricem quoque
 de qua paulò antea retulerat, ipsam ap-
 pellare potuisset. Sed quia alia illa erat,
 per diuersum quoque miraculum, demo-
 niorum videlicet expulsionem, ipsam
 notare voluit. Longè igitur rectius gra-

ci sensere autores, quorum aliqui qua-
 tuor, nonnulli tres, omnes tamen diuer-
 sas fuisse has mulieres testantur: pri-
 mam cuius Lucas meminit, peccatricem
 scilicet, quæ in Pharisæi domo unguendi
 opus complevit: secundam cuius laus a-
 pud Marcum & Matthæum fulget: Ter-
 tiam verò & ultimam diuam Magda-
 lenam, quam Ioannes refert, quæ omnes
 pariter dominum unxere, diuerso ta-
 men loco, modo & tempore. Magdalena
 etenim ante sex Pascha dies dominum
 perunxit, aliæ verò duæ biduum, prius-
 quam Pascha fieret: tertia verò, h. e. pec-
 catrix, longo, ut iam antea osten-
 sum est, tempore. Magdalena li-
 bram integram unguenti preciosi at-
 tulit. Peccatrix non expensum ex
 alabastro effudit. Maria autem unguen-
 taria vas penitus fregit. Illa domini pe-
 des lachrymis rigat, flensq; peccatorum
 remissionem postulat. Alia verò gaudio
 perfusa honorisque gratia, Saluatorem
 ungit, ac reliquum in sepultura diem
 seruare iubetur. Illæ pedes perungunt;
 aliæ caput tanta fragrantia decorant.

Apud

Apud Matthæum & Marcum discipuli
 ex bono indignantur proposito. Apud
 Ioannem verò solus Iudas furandi affe-
 ctu murmurat. Nil verò huiusmodi apud
 Lucam fieri legitur. Apud eundem in
 Ciuitate ac Pharisei domo res agitur.
 Apud Ioannem verò in Castello, ubi
 Lasarus discumbebat, ac Martha mini-
 strabat, Christus unguento delibutus
 legitur, Magdalena canantem do-
 minum aggreditur; Peccatrix ve-
 rò discumbentem, reliqua verò in Si-
 monis domo recubantem. Lucas su-
 am mulierem meretricem manifestè
 appellat; de Maria verò Magdale-
 na, nil tale scriptum reperitur. Ab
 illa eiecta sunt demonia; ab alia ve-
 rò ablata peccata. Quæ cuncta si æquus
 censor diligenter perpenderit, reperiet
 profectò, in tanta rerum variatione,
 impossibile ac minimè credendum esse,
 unam & eandem mulierem, hæc omnia
 ac tam diuersa peregisse. Quod si bis Sal-
 uatorem, ab una & eadem muliere un-
 ctum quidam referunt, quo pacto illud
 ostendere valeant, ipsi videant. Mibi

A S ete-

etenim satis fuit, manifestè demonstrasse, longè diversas has fuisse mulieres, nec cuncta, quae de iis referuntur, uno tempore, loco seu modo fieri potuisse.

Restat nunc alium dissolvere errorem, quo scioli illi inducti, sanctissima Magdalena pudicitiam falso impugnare ausi sunt. Siquidem cum Phariseo Simonis nomen inditum esse legissent, in domoq; Simonis leprosi dominum unctum fuisse intellexissent, ambos illos ac diversos homines, unum & eundem Simonem fuisse arbitrati sunt, non secus nominis similitudine decepti, quam antea personarum confusione seducti. Videbatur forsitan illis res nova & inaudita, duos homines uno ac eodem appellari nomine. Sed jam antea ostensum est, unum in civitate Christum ad secum manducandum rogasse, alium verò in Castello Salvatorem suscepisse, sed ne dubio vel minimo post hac adversarij nostri detineantur, age, manifestè ostendamus, viros illos, (quemadmodum antea de mulieribus fecimus) penitus alios,

lios, ac inter se fuisse diversos. Phariseus
 etenim dubitat, ac intra se dicit; hic si
 esset Propheta, sciret profecto, quæ &
 qualis esset mulier illa. At Simon ille Be-
 thanicus nō solum omni carebat dubio,
 sed jam pridem à Christo curatus, ac ab
 insanabili lepræ morbo liberatus fuerat,
 ideo Prophetam, & quidem maximum
 eum, certo certius esse sciebat, quis
 igitur sanæ mentis cum hac videat, non
 planè intelligat, nec peccatricem in
 domum Simonis leprosi Bethanica per-
 venisse, seu D. Magdalenam in civi-
 tate, ad Phariseum unquam accessisse:
 Sed utraq; apud diversos homines, alie-
 no tempore, mutato modo ac segregato
 loco, suum peregisse officium, nec esse, seu
 unquam fuisse, unam ac eandem femi-
 nam, peccatricem scilicet, ac sanctissimã
 illam Magdalenam. Nec aliquẽ moveat,
 quod Ioannes referat Magdalenam eam
 esse, quæ dominum unxit priusquam e-
 am narrasset historiam, quando quidem
 verbum illud maxime meæ astipulatur
 opinioni, utpote quod non solum ad
 tempus præteritum, sed & fu-
 turum

turum referatur: quasi dicat, Maria au-
 tem erat illa, quæ postea dominū unxit.
 Restat igitur, ut qui turpitudinis D.
 Magdalenam accusent, tantummodo
 suspicionibus suam defendant causam.
 Sed pro nobis quoq; admodum præsum-
 ptiones stringunt. Haud enim creden-
 dum est, mulierem tam potentem, quæ
 non solum diuitiis, sed & amicorum tur-
 ba, quæ ad illam consolandi gratia à Hi-
 erosolymis accesserat, polleret, corpus
 suum profanasse ac tam publicè prostitu-
 isse. Atqui nescio quam adulterino colo-
 re, adversarij nostri, infamiam tam in-
 signē tegere audent. Inquiunt etenim, nō
 vulgare illā scortum fuisse, sed tantum-
 modo quibusdam amatoribus sui copi-
 am fecisse. Quod si exquisitè Euangely
 verba trutinassent, nunquam ad tan-
 tam ignorantiam, ne dicam demen-
 tiam, peruenissent. Non enim satis erat
 Phariseo dixisse, quæ mulier esset ista,
 nisi addidisset & qualis. Quam magnam
 verò peccatricem per hæc verba gemi-
 nata ostendere ille voluerit, unicuiq; pru-
 denti cogitandum relinquo. Nec vident
 homi-

homines illi, quod sua tam fragili excu-
 satione in pristinum labantur errorem,
 iterumque sanctissimam mulierem, in
 scortorum ac meretricū numerum per-
 ducere tentent. Centoneque faciem il-
 lius abstergere seu potius deturpare ni-
 tantur. Quod si intemerata Dei genitri-
 cis ac semper Virginis Mariae gloriam
 (& merito quidem) obfuscarī arbitra-
 mur, si illam in peccato originali conce-
 ptam esse crederemus: quanta qualig-
 ignominia sanctissimam illam Ma-
 gдалenam afficiemus, si sola suspi-
 cione ducti, illam corpus turpiter
 vulgasse aasseramus? quando quidem pec-
 cati originalis labes ab exordio, & primo
 parente, in homines etiam invitos de-
 fluxit; Luxuria verò crimen, maximè
 tam frequens, non nisi rationis consensu
 ac libero nostro arbitrio perfici potest.
 Sed rursus instant adversarij nostri, ac
 dicunt: Quod una & eadem mulier,
 peccatrix scilicet, ac Maria Magdalena
 fuerit, hoc pacto demonstrare possumus,
 dimisit Christus peccatrici peccata, hoc
 est, eiecit de Maria Magdalena septem
 demo-

demonia, per quae septem peccata
 designantur mortalia. Quibus iterum
 respondeo, nil referre, utrum Sal-
 vator peccatrici septem vel quatuor-
 decim remisit peccata. (nam cuncta
 dimisit) sed quod per similitudinem
 demoniorum peccata denotentur, hoc
 tantum à veritate abest, quantum
 ipsi à recto ac bono iudicio, hoc pacto
 etenim nusquam Christus demonia eie-
 cisset; sed ubicunq; demoniorum fit men-
 tio, ibi peccata dimisisset, criminaq; &
 non demonia ex hominibus clamassent,
 porcosq; divino permissu in undam pra-
 cipites egissent, quàm manifestum verò
 illud sit mendacium, quantumq; honoris
 ac potestatis, filio Dei per hanc tam
 violentam interpretationem detrahe-
 retur, sacra littera ubique palam de-
 monstrant. Neque enim Lucas (ut iam
 antea dictum est) quasi non eodem capi-
 te ambarum mulierum tam diversimode
 mentionem fecisset, si illae non diversa,
 sed solum una & eadē fuisset. Nam pec-
 catrici Christus peccata dimittit, illamq;
 in pace abire iubet. Confestimq; (ut ex
 sequen-

sequentibus Evangelistæ verbis liquet) Mariam Magdalenam secum retinet, illamque non per peccata notatam, sed manifestè à malignis spiritibus liberatam, per castella & civitates circumducit. Quo pacto verò hæc quoque duo eidem mulieri conveniant, quilibet per se considerare valet. Sed refugiunt tandem adversantes nobis ad consuetum asylon, Ecclesiam scilicet, quam ita semper observasse, ac in præsens cum eis sentire affirmant, quibus iterum respondeo, unumquemquam Christi fidelem teneri ac obstrictum esse, decreta matris Ecclesie observare, ac firmiter credere, præcipuè in illis, qua fidei spectant mysteria, quod verò mater Ecclesia hæc opinionem à primævo instituto semper observaverit, homines illi obstinati nunquam probare valebunt. atqui contrarium nos manifestè ostendere possumus. Nam ultra doctores Græcos, Originem sc. ac Chrysostr. & Nazian. sanctis & catholicis Doctores D. Hier. beatusque Ambrosius nostra astipulatur opinioni, clarè asserentes, minimè credendum,

dum, unam & eandem fuisse mulierem, peccatricem videlicet & D. Magdalenam, ne Evangelistæ sibi ipsis contraria dixisse videantur. Quam verò Sancti illi splendidissima fidei sint lumina, quantumq; inter cæteros Ecclesiæ excellent doctores, longè supervacuum esset enarrare. Hoc tantum dixisse sufficiat: Neminem unquam probaturum, peccatricem Mariam nomine appellatam, longè minus Mariam Magdalenam illam fuisse peccatricem, quæ in domo Pharisæi pedes domini unxerit. Nec ego sanctæ matri Ecclesiæ derogare quicquam ausim: (absit enim hoc à me sed veritatem inquirere, quæ & non quæsita tandem in lucem venit, minime prohibeor, Nam ea (ut bonus ille Plato inquit) apud Deum & homines omnium potissima est, cuius in primis participem esse oportet, qui futurus est felix. Infidelis autem est, cui mendacium voluntarium existit amicum: cui autem involuntarium, stultus. Vtrumq; igitur fugiendum, cum uterque tam infidus, quam imprudens, non sit, amandus.

Quid

Quid verò horum verius sit, nemo hominum sed Deus novit, cui rectius questionem hanc committimus, quam ut aliquid temere, quod ad ignominiam tam sanctæ mulieris tendat, auctoritate nostra definiamus. Quantum verò humano ingenio, dum coniecturis ac suspicionibus res agitur, deprehendere licet, negamus, imo pernegamus sanctissimam Mariam Magdalenam in meretricum numero annumerandam ac turpi lupanari collocandam esse. Absit enim, quin potius Deus avertat, ut tam officiosissimam ac religiosissimam illam fœminam, quæ mundi Salvatorem hospitio suscepit, quæ omnibus contemptis tam avidè verbis domini inhiavit, quæ ad pedes Christi sedendo optimam partem elegit, quæ nō solum post, sed ante passionem redemptorē unxit, quæ crucifixo assistit, contra sepulchrum sedit, angelorū voces audivit, cui pius ille Hortulanus post resurrectionem apparuit & mœstam & plorantem affectuosissimè solatus est, quam Christus, ut discipulis suis resur-

B

rectio-

rectionem suam annuntiaret, dignam duxit, quam demum Deus Opt. & Max. miraculose in Gallias transvexit, caelesti voce pavit ac Angelorum ministerio sublevarvit, suspicionibus tantummodo incertis, coniecturisq; fragilibus, scortum tribolare, olidi fornicis lupam profanam ac vulgare submenianum existimemus. Proinde quam inexpiabile scelus incurrant, qui sua pertinacia innixi, ab nostra tam pia & longe credibiliore opinione dissentiunt, ipsi viderint, cum, ut homines falli ac decipi possunt. Ego vero si in re tam clara, longe libentius erro, quam si aliquid astruerem, quod tamen minus probare valerem: praecipue cum in re dubia, semper & ubiq; tutior magisq; pia sit via eligenda ac amplectenda.

Tu vero sanctissima ac D E O acceptissima Maria Magdalena, si ab exili ingenio famuli tui indigni, laudibus, honori ac meritis tuis, debitum seu congruum quid profectum seu depromptum est, id omne gratum & acceptum habere velis. Interim cordis
mei

mei affectu precor, & oro, tandemque
favere ac auxilium prestare velis, ut ab
mundanis ærumnis ac fragili mortali-
tate solutus, cum Christo Deo, tecumq̃
patrona sanctissima in æternum vive-
re ac gaudere valeam. Annuat his,
qui in gloria sempiterna, regnat,
ac in perpetuum dominatur,

Amen.





NICOLAI BARINGII,

De

MARIA MA-
GDALENA,

*Quod ea non fuerit pecca-
trix illa,*

Luc. VII. vs. 37.

DISQVISITIO.



I quis penitus causam
scrutetur, qua inducti
ij Doctores, qui Ponti-
fici Romano hodie fa-
vent, & ejus causam
pro viribus defendunt,
tot ac tantos in Ecclesia
sua ferant errores, & tot sequiores opini-
ones puriori Ecclesiae & Antiquitati pror-
sus incognitas, approbent, videbit, quic-
quid tandem soleant praetexere, unicam
& fonticam tot errorum causam, nullam
esse aliam, nisi Infallibilitatem supremi sui
Ponti-

Pontificis. Etsi enim de Ecclesię dignitate, & ejus in decidendis controversijs infallibilitate multa soleant proponere, adeoque ex scriptura sacra, quãtis illa cohonestetur elogijs, ad nauseam usq; inculcare, & semper Ecclesiam, Ecclesiam, ut olim Iudæi, Templum Domini, Templum Domini ingeminare, videmus tamen, omnem hanc laudem quam Ecclesię tribuunt, tandem ad Papam Romanũ eos referre, & Ecclesiam quidem ab ipsis infallibilem dici, sed Pontificem intelligi, adeoque hunc esse, qui omnium in rebus fidei controversiarum unicus ac solus iudex sit, neque ullum sive Universale, sive Particulare concilium robur ac auctoritatem obtinere, nisi accedat Papę approbatio. Et si tale concilium aliquam habeat auctoritatem in iudicio controversiarum fidei, habere id non à se, sed à capite Ecclesię Papa Romano. Quod & diserte fateatur Martinus Becanus, de Circulo Calvin. §. 13. *Dico, inquit, totum corpus Ecclesię, quatenus ex omnibus membris inter se connexis compactum est, non posse errare in rebus fidei, quia regitur & gubernatur à suo capite, quod infallibile est.* Et Iacobus Gretlerus, defens. Bellarm. tom. 1. f. 1450. *Quando Ecclesiam dicimus esse omnium controuersiarum iudicem,*

intelligimus Romanum Pontificem. Gregorius item de Valentia, in analysi fid. cathol. p. 146. & 325. Residet illa summa Ecclesie auctoritas — in Christi Vicario, summo Pontifice: sive una cum Episcoporum concilio, sive absque concilio res fidei definire velit — sive studium adhibeat, sive non. Et Collocutores Pontificij in Colloquio Ratisbonensi anno 1601. habito Sess. I. p. 23. Iudex generalis, legitimus, ordinarius, omnium controversiarum quaeunque possunt oriri in negotio Religionis, est Pontifex Romanus: sive solus definiat aliquid, sive definiat cum Concilio generali. Iste Iudex semper est Infallibilis, quando ex cathedra definit, ut Pontifex, nulli errori obnoxius. Hinc Abrahamus Bzovius in Pontifice suo Romano quem anno huius seculi decimo nono, novis & miris coloribus depinxit, inter alias blasphemias laudes & titulos quos ipsi tribuit, etiam hos habet, quod sit: Auctor, Praeses, Praefinitor, Confirmator, Moderator & Iudex Conciliorum, Nec falli, nec fallere sciens, Nec judicari à quoquam hominum potis, à quo nulla prouocatio. Sacrae Scripturae Custos & Cognitor. Conditor Dogmatum, Iudex Controversiarum de Fide, &c.

Et sane maxime mirandum a deo stupidos esse hos homines, ut eos quos saepe norunt flagitiis coopertos, rudes, haereticos,

ticos, omnique nequitiae addictos, tamen
 aufint eo evehere, quod non possint in
 rebus religionem & fidem concernen-
 tibus falsa docere seu definire. *Luce clarius*
est, ait Georgius Gothardus Canon, Patav.
adv. Jac. Heerbrandum p. 117. plerosque
Pontifices Romanos turpem, atque flagitiosam
vitam traduxisse. Abbas Panormitanus testa-
tur plerosque Pontifices ita vivere, ut
facile appareat, non credere eos restare
post hanc vitam aliam, aut ullam mortu-
orum resurrectionem & judicium. Baro-
nus, qui tamen ut Pontifici adularet, pri-
mam legem Historiarum in Annalibus suis
nimum quantum omittit, fatetur, in-
trusos esse in cathedram Petri, homines
monstruosos, vita turpissimos, moribus
perditissimos, usquequaque fæditissimos, &
Bellarminus, in præfat. contro. de Ponti-
fice tantum non gloriatur, de vitijs Ponti-
ficum, quos Bapt. Platina non veretur
appellare monstra & Portenta, à quibus am-
bitione & largitione sanctissima Petri sedes occu-
pata est potius quam possessa. Pleni sunt histori-
arum libri, ait Autor Apologiæ Catholicæ
pro Henr. IV. Navar. Rege, c. 2. p. 61. Roma-
nis Pontificibus hereticis, adulteris, magis, ma-
leficis, schismaticis, & in fetida vitiorum sentina
demersis Hostales inquam homines, imo

B 4 homi-

in Bened
 IV.
 & Christ. I.

Cap. Vnam
sanct. Extr.
de major. &
obed
c. licet 6. de
Conf.

l. r. adv. hær.
cap. 4.

Defensorij
part. 2. c. 30.

hominum monstra & portenta nobis de
divina revelatione certam & indubitam
fidem facere, adeoque infallibilitatem
determinandi supra universam Ecclesiam
Christianam habere, credat Iudæus a-
pella, non ego. Nam etsi Bonifacius VIII.
statuit, *omnino esse de necessitate salutis subesse*
Romano Pontifici, Romanumq; Pontificem jura
omnia in scrinio pectoris sui habere, adeo tamen
portentosa hæc iudicata semper fuit do-
ctrina, ut nec viri eruditi & cordati tum
temporis, nec hodieque illam approbare
voluerint. Quin ante seculum adhuc con-
trarium statuit Alphonsus de Castro, dum
ait: *Non credo aliquem esse adeo impudentem Pa-*
pæ assentatorem, ut ei tribuere hoc velit, ut nec er-
rare aut interpretatione sacrarum literarū hallu-
cinari possit. Nam quū constet plures eorum adeo
illiteratos esse, ut Grammaticam penitus igno-
rent, qui sit, ut sacras literas interpretari possint.
Et ante eum Alphonsus Tostatus Epi-
scopus Abulensis. Dato, ait, quod Papa da-
mnet aliquā conclusionem tanquam hereticam,
vel aliquem auctorem dicat heretice sensisse, non
sequitur necessario illam conclusionem esse here-
ticam, vel auctorem illum heretice sensisse: quia
potest esse, quod Papa erraverit, imo quod
ipse Papa forte sit hereticus, & per i-
gnorantiam, vel per affectionem aliquam passio-
nalem

nalem damnet conclusionem, siue dictum, aut
 autorem, sicut aliquos summos Pontifices legimus
 hereticos factos, per ignorantiam, & per timo-
 rem, vel per alias passiones. Magno numero
 hos sequuntur alij, qui nondum omnem
 pudore eiurarunt, quales Ioannes Gerson
 Parisiensis olim Acad. Cancellarius, part.
 1. de Exam. doctrin. Abbas Panormita-
 nus, in c. significasti Extra. de Elect. Syl-
 vester, in Summa, verbo Opinio, Iohan-
 nes de Turrecremata, l. 2. de Eccles. Mel-
 chior Canus lib. 6. loc. Theol. c. ult. An-
 dradius lib. 1. defens. fidei Trident. p. 51.
 Georg. Cassander de off. viri pij circ. diss.
 rel. & alij, imo ipsimet Papæ, Urbanus,
 Cauf. 25. q. 1. c. sunt quidam, & Hadrian⁹
 VI. de Confirm. art. 3. §. ultimo, non aliter
 statuere audent. Quin hodieq; stultæ huic
 opinioni palam contradicunt, non so-
 lum in Gallia viri Eruditi, sed & alibi. tom. 1. Mo-
narch. f. 755
 Memorat enim Goldastus, Parisius Anno
 Domini 1611, publice inhibitam fuisse di-
 sputationem quandam, etiam præsentibus
 Ministris Papalibus, qua defendere
 voluerunt: *Veritates fidei definire solius esse
 Pontificis, qui in hoc errare non possit.* Et Frater
 Paulus Theologus Venetus. in considerat.
 Censurar. Pauli V. p. 79. anno 1607 hæc
 scribere audet: *Possent hic circa viginti tres*

B s

Pon-

Pontifices recensere, qui non in moribus tantum privatis, verū etiam in doctrina & gubernatione ipsa enormiter erraverint. Et si quis vitam Pontificum, qui post annum 890. per 130. annos vixerunt, perlegerit, verum me hercle inueniet illud, quod Paulus ait Heb. 5, v. 1. & 2. Ita hodieque Eximij viri obviam eunt isti assertioni, quam alij & præsertim Iesuitæ fundum fidei & religionis faciunt. Quicquid enim alias de Ecclesia & amplissimis promissionibus ipsi collatis declamitant, in id tamen tandem redit, ut inter omnes Ecclesiæ cives, nemo præter solum Pontificem Romanum Infallibilitatem illam habeat, prout alibi pluribus docetur.

Præmittenda autem etiam huic questionihæc fuerunt, quæ magno apparatu quidem & contentione ab Adversarijs agitur, sed in fine tamen, cum ipsimet vident, nec Scripturam sacram, nec Antiquitatem à suis stare partibus, Ecclesiæ auctoritatem ceu firmissimi clypei umbonem diversa sentientibus solent objicere, quo non confutentur, sed penitus conterantur. Et ut olim Alexander ille M. cum nodum Gordium solvere nequiret, eum ense suo dissecavit, ita isti dum aduersariorum argumenta dissoluere neutiquā possint, hoc veluti gladio eadem disseccare con-

nan-

nantur. Unde Baronius statim in initio huius
 quæstiunculæ: *Nostrū esse munus existima-*
mus, ait, ut Catholicae sectantes Ecclesie vestigia,
quod ipsa de ea re sensisse videatur, id ipsum vere
probatum firmiterque stabilitum relinquere stu-
deamus. Et mox Tertulliani locum addu-
 cit, ex quo probare conatur, *tantam esse*
Ecclesie auctoritatem, ut quod longioris tempo-
ris spatium dixisse vel fecisse videtur, id ipsum ut
divinitus institutum haberi debere, satisque esse
ad convincendos omnes hæreticos. Et totam con-
 troversiam concludens, ait: *Certe etsi nulla*
alia subesset ratio, qua hæc ipsa mulier, & pecca-
trix, eademque Maria, soror Lazari, Magdalena
cognominata dici posset: tamen ut iustificetur
Dominus, qui factum Mariæ in toto orbe
prædicatum iri testatus est, in sermonibus
suis, ne falsi vaticinii, quod nefas est dictu, argua-
tur, affirmare necesse est, unam eandemque esse
Magdalenam, nec diversas, seu plures: dum u-
nam tantum longe lateque per Orbem diffusa
Ecclesia prædicat Magdalenam. Ita jam olim
 Nicolaus Lyranus: *Consuetudo Ecclesie tenet,*
quod eadem mulier fuit, da qua narrat Lucas,
tacito ei nomine, & qua hic dicitur soror Lazari.
 Nec mirū; quia officium Ecclesiasticum à S. Gre-
 gorio ordinatum est, qui fuit huius opinionis. Ita
 etiam Maldonatus cū Baronio idem sen-
 tiēs. Hoc, ait, ego multo arbitror esse probabilius,
 quod

Ann. 32. n.
17.

De Præ-
script. adv.
hæret.

num. 28.

ad cap. 11.
Joh. & Dio-
nysius Car-
thusianus.

quod tacitus Ecclesie sensus in hanc partem inclinaret. Ita & Barradius, Didacus Stella, Ianfonius locis mox citandis.

*Quaestio est, quanam illa foemina, quae Dominum unxisse in Evangelio legitur? Et cum apud omnes Euangelistas unctionis alicujus mentio fiat, nempe Matth. 26, 7. Mar. 14, 3. Luc. 7, 37. & Iohan. 11, 2. & 12, 3. num una aliqua in his locis designetur mulier, an diversa? & si una num ea Maria Magdalena dicta sit? Hanc inquam quaestionem tanto studio agitant Adversarij, quasi salus Ecclesiae in ea sit sita, nec ut olim, hodie amplius Eruditus liberum sit, id quod in hac quaestione rectum putant, & sacris literis convenire, modeste in medium proferre. Mirum quatos in sympulo hic fluctus moveat Baronius, quantas tragœdias excitet, quam acerbè doctissimos viros, qui superiore seculo diversam ab Ecclesia Pontificia sententiam tutati sunt, Novatorum, imo Sextorum & Pyrrhonum nomine perstringat: quasi vero, quia Gregorius M. qui ex omnibus antiquis scriptoribus primus ita sensit, unam hanc foeminam, & quidem Mariam Magdalenam esse, nemini porro licitum sit, contra illam sententiam vel amplius hiscere, & cū antiquioribus & eruditioribus Patribus modeste de ea dubitare. In tribus
autem*

autē quaestionibus tota hęc controversia consistit. 1. An peccatrix illa apud Lucam c. 7. fuerit Maria Magdalena? 2. An Maria soror Lazari quę Christum Bethanię unxit Ioh. 11. & 12. fuerit Maria Magdalena? 3. An illa mulier cuius Matth. c. 26. & Marcus c. 14. meminerunt, quę itidem Dominum unxit fuerit Maria Magdalena? His tribus quaestiunculis probe pensiculatis constabit neutram harum mulierum Mariam Magdalenam fuisse, adeoque insigni eam à Pontificijs & Postillatoribus hactenus injuria affectam, & etiamnum adfici, dum tanquam improba & lasciva meretricis in Natali suo passim hodieque traducitur.

Quod igitur Maria Magdalena non sit illa peccatrix, neq; Maria illa Marthę & Lazari soror, velex eo satis constare potest, qđ hęc mulieres sat aperte à se invicem distinguantur, nec unquam Magdalena vel peccatrix, vel soror Lazari indigitetur. Et quidem nec Adversarij Affirmativam suam, qua has omnes confundunt, ex historia Evangelica probare possunt, quin fententur multis difficultatibus hanc illorum sententiam implicatam esse, verum, uti dixi, ob Ecclesiam seu verius Pontificem, qui du-

qui dudum ita statuit, non audent in alteram partem concedere. Audiamus saltem unum Cornelium nempe Ianssenium Episcopum Gandauensem, scriptorem non minus eruditum quam modestum, Hic in Commentario in Concord. Evang. cap. II. hæc habet: *Quod hæc Maria qua in Evangelijs vocatur Magdalena, sit ea Maria, qua fuit soror Martha & Lazari, ex Evangelijs quidem apertè probari non potest, eo quod illis in locis, in quibus mentio fit de Maria quadam sorore Martha, non vocetur illa Maria Magdalena, sed tantum Maria, ut Luc. 10. & Iohan. 11. & 12. Imo ex Evangelijs videri posset, non esse eadem mulier, quod Maria, qua dicitur Magdalena fuerit Galilea, ut ex hoc loco patet (Lucæ 8.) & Marc. 15. ubi numeratur inter mulieres, qua secute erant Iesum à Galilea in Iudæam. Maria autem soror Martha videtur fuisse Iudæa, cum Bethania Iudæa castellum, dicatur Iohan. 11. fuisse castellum Maria & Martha sororum Lazari. Verum sum recepta ab Ecclesia sententia habeat, Mariam sororem Martha, eam fuisse Mariam, qua dicitur in Evangelijs Magdalena, & eam etiam, qua apud Luc. cap. 7. dicitur peccatrix, non est temere contra hanc sententiam sentiendum. En ipsemet fatetur non posse probari apertè ex Evangelio vulgatam sententiam; imò contrarium apparere, sed ob Ecclesie*

con

consensum nihil vult immutare. Nos autem seposita nonnihil ista Ecclesiæ infallibilitate, videamus, quid in Evangelij de Maria Magdalena dicatur. Meminere ejus omnes Evangelistæ. Lucas primo de ea recenset, quod fuerit à Christo Domino, postquam septem ab ea ejecisset demonia, in consortium admissa, quodque illum una cum alijs pijs mulieribus sit secuta, ab eaque Dominus vitæ necessaria acceperit. Verba habentur c. VIII, 1. 2. & 3. *Et factum est deinceps, ut ipse iter faceret oppidatim, & vicatim, predicans & evangelizans regnum DEI: & duodecim illi erant cum eo: Et quedam mulieres quas sanaverat à spiritibus malis & morbis: nempe MARIA, quæ vocabatur MAGDALENE, ex qua septem demonia exierant: Et Iohanna uxor Chuzæ procuratoris Herodis: & Susanna & alia multa, quæ ministrabant ei ex iis quæ suppetebant.* Hic primus est locus in quo Magdalensæ mentio fit, quæ ita dicta procul dubio, à patria Magdalo, sive Magdala. Triplex autem locus hoc nomine in sacris literis insignitur, Unus in Ægypto, ubi urbs Magdalum, non longè à Nilo & Pelusio distans, quo Judæorum reliquiæ metu Nabuchodonosoris fugerunt, à quo tamen capti & in Babyloniam abducti, prout constat ex Jerem.

rem. c. XLIV. & XLVI. Verum hic nihil ad nostram quæstionem. Alter locus, Magdala dicitur sive Magedan Matth. XV. & Marc. IIX. ubi Pharisei signum à Servatore postulabant de cælo. De hoc Beza in Matth. 15. Magdala, Μαγδαλαί. Vulgatus MAGEDAN. aliud exemplar Μαγαδαν. MAGADAN. Inde suspicor hunc tractum esse qui MACEDA sæpè in libro Iosue vocatur. Nescio an ab hoc loco Maria illa sumpsit MAGDALENÆ cognomentum. Marcus habet DALMANUTHA: Syrus interpres legit MAGGEDA. Hieronymus, ut observat Erasmus legit MAGEDAN, & locum esse ait in tribu Iuda. Tertius, urbs est ad mare Galilææ, fat nota, quæ vulgo patria Mariæ hujus dicitur, descripta Brocardo cap. 5. §. 7. & alijs. In hoc loco etiamnum peregrinantib⁹ monstratur domus Mariæ Magdalenæ, prout videre est in descriptione itineris Johannis comitis Solmensis, qui anno 1483. loca sancta visitavit. Ita enim de eo Bernhardus Breitenbach, von Bethsaida zwei Meilen gegen Mittag / ist das Castell Magdalum genandt / das Maria Magdalena engen war / derer Hauf man noch da siet. Quin & alia ejus domus peregrinantibus, in Bethania monstratur. Sic enim in itin. descript, Alexandri comitis Palatin. das selbst

P. m. 67. b.

fol. 41.

selbst (in Bethania) ist auch die Stadt / die
 S. Maria Magdalena ihre Pœnitenz ge-
 than hat / ist ein vierecktes Loch / vnd so klein /
 daß ein jeder nach dem andern darinn frie-
 chen must. Item oben auff ist Simon des
 Außsätzigen Haus / da Maria Magdalena
 vnserm H E R R N sein heyliges Håupt
 mit gang köstlicher Salbe / genandt Alaba-
 ster / salbet. Ruditatem videt Lector ejus
 seculi. Fuit enim prædictus comes ibi an-
 no 1495. In alius itineris, Stephani nem-
 pe de Gumpenberg descriptione, itidem
 hæc leguntur in descriptione Bethaniæ.
 Darnach giengen wir zu dem Haus / da
 Maria Magdalena gessen ist / das ist bey
 vier Armbrust Schuß weit von Lazarus
 Haus / bis zum todten Meer / vnd darnach
 zu Martha Haus / das ligt auff der lincken
 Seiten ohnraefehrlich ein Armbrust Schuß
 von Maria Magdalena Haus. Imo huic
 persuaserunt monachi primam istam un-
 ctionem qua peccatrix Luc. 7. Dominum
 unxit, prope Jerusalem esse factam. Ita e-
 nim loquitur in descriptione Hierosoly-
 mæ & circumjacentium locorum. Darnach
 giengen wir an die Stadt / da Mariæ
 Magdalensæ ihre Sünde vergeben wardt /
 da ist auch eine schöne Kirchen gewesen / ab-
 ber es ist nun ein Heyden Haus. Obijt in

f. 239.

C

ista

In Festo
Mar. Magd.

L. 4. die Ma-
gdal.
de vita per
exempl. in-
stituenda c.
I.

ista peregrinatione hic 1449. In aurea le-
genda, à Jacobo de Viragine (ita enim
rectius ab oppido Ligurum vocatur, ut
vult Sixtus Senensis, in Biblioth. quam de
Voragine: Vide Voss. de Histor. latin. lib.
2. p. 457.) Archiepisc. Genuensi, q̄ floruit
A. C. 1290 concinnata, traditur castrū hoc
Magdalena hereditate obvenisse, quippe
quæ ex regia familia genus duxerit. Pater
ejus ibidem Syrus, mater verò Eucharia
dicitur, cumque fratre suo Lazaro & sorore
Martha, Magdalum castrum, Bethani-
am & partem urbis Hierosolymæ posse-
disse, quæ tamen ita diviserint, ut Maria
Magdalum, à quo Magdalena dicta, La-
zarus urbis Hierosolymæ partem, Martha
verò Bethaniam obtinuerit, quæ etiam à
Surio, M. Marulo Episcopo Spalatensi,
Sylvestro Prieriate & alijs repetuntur,
sed à Maldonato non sine stomacho reji-
ciuntur. Et Cornelius Janssenius, cap. 102,
c. comm. in Concord. Evang. *Incertum an Be-
thania dicatur castellum Mariæ & Martha, quod
hæ sorores fuerint vici hujus aut pagi domine, an
quod illinc essent oriunda: quomodo & cap. 1. Io-
annes Bethsaida vocat civitatem Andrea & Pe-
tri. Mirè autem & ceu alterum Proteum
transformarunt hanc mulierem. Judæi
enim eam cum matre Servatoris nostri*
con-

confundunt, nomenque derivant, non à patria seu loco, ubi habitavit, sed à Magdala, quod exponunt implicantem capillos mulierum. Ita enim legitur in Schabbath (tractatu Thalmudico qui de Sabbatho agit) *Nonne filius Satda exportavit magias ex Ægypto per casuras, quas fecerat in carne sua.* Per Satdam matrem Domini, per filium Christum intelligunt, qui, ut ex Purcheto Lutherus in libro de Schemhamphorasch notat, descriptum Schemhamphorasch inclusisse in discissam cutem pedis, & per eius vim miracula edidisse à Iudæis dicitur. Satda autem illis est *Mariam¹⁰⁹ magdala neschia* Maria ornatrix mulierum, plicatrix capillorum muliebrium, ut fieri solet puellis sponsis. Nā *magdala* in Glossa Raschi exponitur *mekallaath shearnaschim* Implicans capillos mulierum. In Chagiga (alio quodā tractatu Thalmudico, qui de masculis ter quotannis ad solennitatem Hierosolymitanam adducendis agit) dicitur hæc Maria vixisse in templo secundo *immo schel ploni* mater *ḤN.* (id est, ut exponit Buxtorffius, Christi, cuius nomen hic solent reticere.) Dicitur autem Satda quasi *Satath da* declinavit ista, nempe ad scortationes, quia scortata est, ut scribit R. Sal, Jarchi in Sanhedrin.

fol. 104.

t. 5. Witteb.

Germ.

t. 8. Jenent.

Germ. fol.

109.

Sanhedrin.

fol. 67. t. c.

dit. Venet.

fol. 4.

Fuerunt alij qui duas Magdalenas, ob difficultatem quæ in Evangelistis de tempore resurrectionis Domini apparet, statuerunt, ut Ambrosius lib. 10. comm. in Lucam c. 24. Eusebius & alij apud Anastasium: propterea que de hac nostra dici, eie-
cta ab ea septem dæmonia, ut ab altera illa, quæ ad sepulcrum venerit, distingua-
tur. Verum ea difficultas tanta non est, ut propterea duæ Magdalenæ statuatur, prout etiam ex Pontificijs ostendunt Ioan. Maldonatus in c. 8. Lucæ, & Ianssenius c. 145. Concord. Evang. Deinde ut idem Iacobus testatur, fuerunt, qui eam sponsam, Iohannis Euangelistæ & Apostoli dixerunt, quem ex nuptijs ad Apostolat-
um Christus vocaverit, unde indignata se voluptati dederit: verum ipsemet addit. *Hæc autem falsa & frivola reputantur.* Ipse autem dicit, eam una cum S. Maximino, post lapidationem Stephani, in Marsiliam secessisse, cui, uni ex LXX. discipulis, à B. Petro fuerat commendata, ibique Regem & Reginam convertisse, Reginamq; per biennium iam mortuam absentem resuscitasse. Post in Eremum secessisse, & quotidie statis horis angelorum ministerio in cælum attolli solitam, commemoratamque ibidem diutius, quam mortalita-

Bonaventura. teste
Luth. in
Schem-
hamph.
Vide & Sa-
bellicum l.
3 Exempl.
cap. 6. & c.
2.

talitatis necessitas pateretur, vixisse autem ibi triginta annos, nec interim hominem vidisse, aut ab ullo visam: cibumq; illi non humanum sed cœlestem & suavissimum ab Angelis datum: postmodum a. ibidem præsente S. Maximino obdormivisse & sepultam esse. De ea ita Martyro-^{22. Julij.}logium Romanum: *Apud Massiliam natalis sancta Maria Magdalena, de qua Dominus eiecit septem demonia, & qua ipsum Salvatorem à mortuis resurgentem prima videre meruit.* quæ verba etiam repetit Beda in suo Martyrologio: & Græci in Menologio suo eadē die ^{fol. 90.}memoriam eius celebrant, qui tamen putant corpora Magdalena & Lazari Ephesi quiescere, ut ex Cedreno in Comp. hist. in Leone Phil. constat. Zonaras Constantinopoli sepultā tradit. Sigebertus A. 1. 3. *Annal.* D. 745. dicit à Maximino apud Aquensem civitatem esse sepultam, post ea à Sarracenis desolata, corp⁹ ejus à Gerardo Comite Burgundia ad canobium Viceliacum à se constructum, translatum. Martinus Polonus in Zacharia Pp. circ. an. Chr. 740. *Huius tempore corpus B. Mariae Magdalena, à Gerardo comite Burgundia, Versiliacum est translatum. Quamvis alij scribant, quod apud Ephesum quiescat: & alij, quod in Italia, in insula lacus S. Christi sine: ut ita ex sepultura & eius inscriptione*

Roffensis & Barradius firmum argumen-
tum pro vulgata opinione deducere non
possint. Quin de tota hac historia Baroni⁹
in Martyr. testatur multa Apocrypha se
legisse & talia, quæ insulsa sibi visa, mo-
netque in his talibus sequendam esse Apo-
stoli regulam, *ut cuncta probantes quod bonum
est teneamus.*

Missis ergo incertis, imo frivolis & in-
sulsis istis historijs, quæ Evangelica histo-
ria de Magdalena tradat porro videamus.
Primo, Lucas ait, eam à septem dæmonijs
ope divina liberatam. Gregorius Ma-
gnus per hæc dæmonia *Peccata* intelligit,
numerumque certum pro incerto putat
positum: Ita enim ait homil. 33. *Septem dæ-
monia Maria habuit, quæ universis vitiis plena
fuit.* Quem sequitur Dionysius Carthusi-
anus: *Septem dæmonia, ait, id est universa pec-
cata mortalia: septenario quippe universitas
designatur.* Verum non videtur Septem illi
dæmones peccata denotare, sed Lucas ex-
presse dicit, Mulieres aliquas à spiritibus
immundis esse curatas, statimque huius
mentionem facit: ut proinde vere hæc à
Satana obsessa, & à Christo liberata cre-
datur, prout etiam Theophylactus in
Marc. 16. (quanquàm in Luc. 8. videatur in
aliam partem inclinare.) & ex recentiori-
bus

fol. 207.
tom. 4.

In Marc. 16.

bus Wolffg. Musculus, in Matth. c. 26. Ioh. Brentius in Luc. c. 7. Polyc. Lyserus c. 58. Harm. Euang. Ianssenius in Conc. statuunt: Nec numerus hic finitus pro infinito accipi debet, quod bis ab Euangelistis repetatur, Lucæ nempe c. 8. & Marc. 16. septem dæmonia à Christo ex hac muliere eiecta fuisse. Et recte Maldonatus, in Luc. 8. *non dubium est, hoc Euangelistas addidisse, ut Mariam Magdalenam, ex facto in ea singulari miraculo describerent. A vitijs autem eam liberare, aut miraculum non erat, aut non habebatur.* Primum ergo hoc constat ex Scriptura, Mariam Magdalenam ab obsessioe septem dæmoniorum à Christo fuisse liberatam, ex quo contra Vulgatam opinionem argumentum promere possumus: eam videlicet non fuisse meretricem, de qua c. 7. Lucæ. Quis enim sanæ mentis cum ea rem habere vellet, quam nosset à septem dæmonibus obsessam. Talis certe fæmina, etiamsi vellet meretriciam exercere neutiquam posset, quam enim magis fugiunt homines, quam dæmoniacam? Etsi enim Pontificij quidem putent, Magdalenam non fuisse publicam meretricem, sed primum viro traditam in castello Magdalo, cum eo aliquandiu vixisse, postea vero voluptatibus seductam, marito aut

Janssen. in
Conc. &
Barradius,
lib. 8. c. 13.

fol. 255.

derelicto, aut mortuo, captam fædo & alieno amore, non publice quidem se prostituentem, sed illicitis deditam fuisse amplexibus. Simon de Cassia libro 9. De Religione Christiana, cap 29. *Non tamen credendum est, scortum illam fuisse, ut sub fornicibus aut locis scortaticis expectans homines insideret: sed mundi vanitatibus & delitijs corporis dedita, in perditis moribus transigebat culpabilem & infamem vitam atque notoriam.* Patres tamen comuniter fæminam illam de qua Lucas c. 7. agit Meretricem appellant, ut

Hom. 61. in Chrysostomus, qui *turpis vitæ mulierem,*
 Joh. *flagitiosam, turpis vitæ consciam,* appellat,
 Hom. 81. in imo nec insignem quandam & nobilem
 Matth. personam fuisse putat, sed abiectæ mulieris tactum dicit. Hieronymus de ea: *Manifeste meretrix appellatur.* Isidorus Pelusiota iudem meretricem appellat. Gregorius M. *libidinis igne succensam,* Augustinus *famosam*
 In cap. 26. *meretricem* nominat. Dionysius Carthusianus in Luc. 7. inquit: *Plures sanctorum insinuunt eam actibus luxuriæ fuisse subiectam,*
 Matth. Et si Dionysio credimus, ipsamet Magdalena facta est Sacerdoti in Eremo eam inveni-
 lib. 1. epist. *ente, quod ipsa esset famosa illa peccatrix,*
 142. de qua in Euangelio legitur. Quin nec Emphasis vocis quam Lucas adhibet aliter nos capere sinit. Etsi enim *ἀμαρτωλὸς*
 Homil. 25. *meretricem* nominat. Dionysius Carthusianus in Luc. 7. inquit: *Plures sanctorum insinuunt eam actibus luxuriæ fuisse subiectam,*
 tractat. 49. Et si Dionysio credimus, ipsamet Magdalena facta est Sacerdoti in Eremo eam inveni-
 in Joan, *ente, quod ipsa esset famosa illa peccatrix,*
 in Matth. *ente, quod ipsa esset famosa illa peccatrix,*
 26. de qua in Euangelio legitur. Quin nec Emphasis vocis quam Lucas adhibet aliter nos capere sinit. Etsi enim *ἀμαρτωλὸς*
 omne

omne genus peccati complectitur, tamen ait Casaub. in notis ad h. l. de muliere cum dicitur, non male posse verti existimo *scortatrix*. nam id genus mulieres *ἀμαρτάδας* Græci vocant. Procopius: αἱ τῶν γυναικῶν ἀμαρτάδες οὐκ ἔστιν ἀνδρες ἰένον μόνον, ἀλλὰ καὶ παίδων ἀπὸν μάλλον. Polyc. etiam Lyserus cap. 57. Harm. Evang. notat plus significare, quam ἀσελγῆς. Et ἀμαρτωλῆς dici putat 1. qui non ex ignorantia seu imbecillitate labuntur, sed ex destinata malitia. 2. qui in enormibus flagitijs vivebant 3. qui non semel sed sæpius exercebant flagitia, idq; 4. non clam seu notorie. Unde Suidas: ἀμαρτωλοὶ οἱ τῷ ὄνοματι συζεῖν περὶ αἰσχρῶν καὶ βίον διεφθαρμένον ἀσπαζόμενοι. Nec sine causa Simon Pharisæus dicit, de hac muliere: Si sciret ποῦ τὰ πόδες, qualis esset? hoc enim peculiarem habet Emphasin, quasi admirantis, de enormitate vitiorum, quæ in hoc sexu proprie esse solent Luxuria, Libido, &c: Recte Iansenius: *Dum hac mulier peccatrix vocatur, significari videntur peccata carnis, à quibus proprie infamari solent mulieres.* Si ergo illa apud Lucam talis profligatæ pudicitiae mulier: hæc nostra autem à septem dæmonibus obsessa, qui quæso vna eademque mulier esse poterit?

C 5 Deinde

Deinde nec Lucas ut nec Marcus aut alij Evangelistæ quicquam de eius impudicitia referunt, sed potius post liberationem à dæmonibus, indivisam Christo, cum alijs pijs matronis comitem fuisse, & de suis facultatibus ipsum sustentasse, ex quo itidē patet nobilem & opulentam fuisse fæminam, quæ non opus haberet, ut cuius pro meretricia mercede corpus prostituere, ut taceam, quanta hic Pharisæis janua aperta esset ad calumniandum, si scirent talem & tantam peccatricem in contubernio Servatoris fuisse, tum sane prompte oggessissent illi: Noscitur ex socio qui non cognoscitur ex se. Etsi enim & Matthæus & alij peccatores Christum sint sequuti, longe tamen alia in viris, quam in meretricibus ratio est, & quivis videt, quam hoc ad calumniam cuius obivium fuisset.

Tertio constat ex Evangelistis adeo Magdalenam amasse Dominum, ut nec in summo periculo ipsum deseruerit. Sub cruce enim eius, cum jam omnes eius discipuli (excepto Iohanne) fugissent, cum alijs mansit, prout restatur Matthæ⁹ c. 27. v. 55. 56. *Erant autem illic, ait, mulieres multe, è longinquo spectantes: quæ sequutæ fuerāt Iesum à Galilæa, ministrantes ei. Inter quas erat Maria Magda-*

Magdalene, & Maria mater Iacobi & Iose, & mater filiorum Zebedæi. quæ verba repetuntur à Marco c. XV. v. 40. & 41. à Iohanne c. XIX. v. 25. & à Luca, quamvis hic eas non nominet c. XXIII, v. 49.

Quarto & hoc testantur Evangelistæ, præ nimio amore, quo Christum persecuta est, eam nec post mortem ab eo recessisse, sed una cum cæteris ibi mansisse, & cum à Iosepho & Nicodemo sepeliretur, locum illum, ut corpus defuncti ungere possent, probe observasse. Verba Matthæi ista sunt c. XXVII. v. 61. *Erat autem illic Maria Magdalene, & altera Maria sedentes ex adverso sepulchri.* quibus paria reliqui habent Marcus cap. XV, 47. & Lucas XXIII, 55.

Quinto ex Evangelijs constat ipsam una cum reliquis unguenta emisse & præparasse, ut more usitato corpus Christi defuncti ungere possent, qua de re hæc leguntur apud Matthæum ὁ ψεῖς τῶν σαββάτων τῆ ἡμέρας εἰς μίαν σαββάτων, εἶλθε Μαρία ἡ Μαγδαληνή, & c. c. XXVIII. Marcus ita hac re loquitur καὶ ἀγγελομένης τῆ σαββάτης exacto Sabbato Mariâ Magdalene, & Maria Iacobi & Salome, emerant unguenta, ut venientes ungerent eum, καὶ λίαν πρωί, & valde mane primo die hebdomadis

domadis profectæ veniunt ad monu-
 mentum ex orto sole. c. XVI. v. 1. & 2. ubi
 quidem constare hæc sibi non posse
 videntur, quod Matthæus ait factum hoc
 fuisse vespere, Marcus verò, orto sole. Sed
 diu est quū viri Eruditi observarunt τὸ ὄψε
 σαββάτων apud Matthæum non recte
 verti, Vespera sive sero Sabbati, sed ma-
 gis, transacto jam Sabbato. qua de re legi
 possunt, Maldonatus, Ianssenius, Beza, &
 quem honoris causa nomino Claris: D. D.
 Calixtus, alijque. Sexto denique de Mag-
 dalena constat ex Evangelistis, primum ei
 Servatorem nostrum post resurrectio-
 nem apparuisse. Quam apparitionem fule
 describit Iohannes. cap. XX. brevibus au-
 tem innuit Marcus c. XVI, 9. *Quum autem
 resurrexisset Iesus inquit, mane, primo die hebdo-
 madis apparuit primum Maria Magdalena, ex
 qua eiecerat septem demonia. De ea Irenæus
 l. V. c. 26. (edit. Gallas. c. 31. edit. Feuard.)
 Resurgens autem tertia die, & Maria, quæ se
 prima vidit, & adoravit dicebat: Noli me tan-
 gere: nondum enim ascendi ad Patrem meum
 &c: Non audet hoc, etsi libenter velit,
 negare Fevardentius, cuius hæc sunt in
 hæc verba notæ: Magdalenam intelligit, cui
 quantū ex scripturis videlicet expressis apparet,
 & de his quos ad publice de resurrectione Christi
 testifi-*

testificandum electi erant, idem Christus redi-
 vus apparuit. Addit autem: Non inficiatur ta-
 men Irenaeus eundem sanctissimæ matris suæ Vir-
 gini Mariae prius & privatim manifestum se fe-
 cisse. Quali verò qui expressè dicit pri-
 mum Christum Magdalenaë apparuisse,
 non eo ipso neget, Christum matri suæ
 primum apparuisse.

Hanc gratiam itidem superioribus se-
 culis Magdalenaë eripere quidam volue-
 runt, & Pontificij etiamnum eripiunt,
 dum nō huic sed matri suæ primum Chri-
 stum apparuisse contendunt, non atten-
 dentes tam perspicuè Marcum contrari-
 um hic docere. Eriphanus videtur primus contr. Mas-
 id asseruisse, cum de B. Maria virgine, sed fili.

certè aliud agens, loquitur: ἔγω γὰρ οἱ ἀπο-
 στολοὶ ἀγατάσθαι τῆ ἐκκλησίᾳ, ἔγω γὰρ ὁ Κύ-
 ρι Ⓞ διέταξεν ἐν τῷ εὐαγγελίῳ, ἀπὸ μιᾶς τῆ
 ὑποδείγμα ἡμῶν κηρύττων, φήσας τῆ μητρὶ
 αὐτῆ: Μὴ με ἀπὸ. ἔγω γὰρ ἀναβέβηκα πρὸς
 τὴν πατέρα. Hæc enim verba Christus non

ad matrem suam, sed ut expressè testatur
 Johannes c. XX. v. 17. ad Mariam Magda-
 lenam loquutus est. Ex hoc fortè opinio-
 nem istam hausit Ambrosius, l. 3. de Virgin. lib. 7. cap. 29
 fol. 113. quem sequuti Anselmus. lib. de ex- lib. 4. c. 6.
 cellent. Virginis c. 6. Sedulius, Rupertus Tui-
 ziensis, & Durandus Mimatensis in lib. de di-

vinis

Oper. Pa-
 scal. lib. 5.

lib. 7. cap. 29

lib. 4. c. 6.

vinis officijs, qui etiam rationibus quibusdam id confirmant. Nostra memoria id asserunt Card. *Baronius* Ann. 34. n. 183. qui ex veteri traditione probat, *Didacus Stella*, in *Lucam*, *Corn. Ianssenius* in *Conc. Evang.* cap. 145. *Maldonatus* ad cap. 28. *Matthæi*, *Fevardentius* loc. cit. & alij. Nos merito miramur, inveniri, qui tam perspicuo Evangelistæ testimonio contradicere ausint, *Magdalenæ*que istam gloriam vindicamus, quod ei primum Christus apparere voluerit: & eatenus approbamus *Janssenij* verba qui post propositam vulgatam *Papistarum* sententiam hæc addit: *Quamquam etiam videri possit Dominum ideo non apparuisse subito matri, quod illam in fide Resurrectionis sciret non vacillare, propter quod non ita cum reliquis sepulchrum adiit sicut cum reliquis astitit cruci.* Recteq; eruditissimus *Casaubonus* Exer. 6. S. 118. *Johanni non statim apparet, quia credit, Ioh. XX, 8. at Petro descendit, qui non planè credit, sed miratur, Luc. XXIV, 12.*

Hæc sunt quæ in Evangelijs de *Maria Magdalena* habentur, longè diversa ab ijs, quæ ei vulgo tribuuntur, & in Natali ejus magnis verborum ampullis recenseri solent. Verum operæ fortassis erit precium etiam videre quibus rationibus inducti

ducti ex illa tam pia & sancta, adeoq; di-
vite & fortasse nobili fœmina, Meretri-
cem adeo famosam & tantum non pro-
pudium nefandum fecerint. Baronius
certe mire hic tragœdiatur, & magna con-
tentione quæstionem orditur & agit. *Ann. 3. 2. 7.*
Verba hominis adscribam. *Quæstionem sa- 87.*
tis prolixam, inquit, multisq; inter differendum
perplexitatibus auctam aggredimur: & post
pauca: Scimus quidem in his pervestigandis tam
antiquorum, quàm etiam recentiorum scripto-
rum magnum studium, magnumq; laborem col-
locatum: ut jam non mediocris laboris sit, singu-
la ab ijs scripta pensare, & quid certius ac quid
verius dictum sit, dijudicare. At nos non tanti
sumus, nec nobis tantum sumimus, ut de his su-
premam sententiam ferre præsumamus, vel pro-
ponamus: sed potius nostrum esse munus existi-
mamus, ut Catholica sectantes Ecclesie vestigia,
quod ipsa ea de re sensisse videatur, id ipsum verè
probatum firmiterque stabilitum relinquere stu-
deamus. Qua in re certe non esset nobis laboran-
dum, si qua post tot ea de re antiquitus agitatae
controversias, ipsa Ecclesia usu probasse videtur
Sexti & Pyrrhones (sic dixerimus eos, qui de o-
mnire dubitandi & semper contradicendi libidi-
ne quadam exagitantur) iterum in dubium re-
vocantes, eadem convellere editis commentariis
non statuissent, hi scilicet, qui de tribus Magdale-
nis

nis sententiam firmare conati sunt. Hæc ille
 tam longo proœmio, Jodoco Clitoveo
 & Jacobo Fabro viris eruditissimis succensens,
 quod superiore seculo eam sententiam in
 dubium vocare ausi sunt, de qua dubita-
 runt omnes ferè patres ante Gregorium
 M. nempe Clemens, Episc. Rom. Orige-
 nes, Chrysostronus, Theophylactus, Eu-
 thymius, Macarius, Ambrosius, Hierony-
 mus, Augustinus, Bernardus, ut vult Bar-
 radius, comm. in Matth. c. 26. & alij. Ita et-
 iam Maldonatus: *Incurrit in hunc locum
 vulgaris quæstio, nostro præsertim tempore ma-
 gnis scriptis voluminibus agitata, unane an plu-
 res mulieres fuerint, quæ viventem adhuc Chri-
 stum unxisse reperiuntur.* Et Barradius. *Ma-
 riam Magdalenam & sororem Lazari fuisse,
 peccatricem Luc. 7. recepta habet sententia.
 Ea verò nonnullis oppugnatur rationibus, non ta-
 men expugnatur.* Item Stella. *Ioannes Episco-
 pus Rophensis & martyr, hanc opinionem de tri-
 bus Magdalenis, à Iacobo Episcopo Viennensi
 defensam, tribus voluminibus oppugnavit. Nu-
 per etiam Ioannes (Jacobus voluit dicere)
 Faber Stapulensis, libellum scripsit: de triplici
 Magdalena, qui quidem impertinentem & in-
 utilem assumpsit operam: cujus fundamenta i-
 psemet facile possem solvere, & impugnare. Sed
 superfluum videretur in hac re moras trahere.* &
 Janstæ

2.2. lib. 8. c.
 13.

in cap. VII.
 Lucæ.

Iansenius denique : Et tamen cum questio c.47. in
Cod. Ev.
 hac olim dubia usque ad Augustini tempora , po-
 stea multis seculis sopita fuerit , creditumque sit
 in toto orbe maxime occidentali , unam fuisse
 mulierem , de cuius unctione omnes scribunt
 Evangelista : hoc nostro seculo dubitare rursus
 quidam ceperunt , inter quos primi fuerunt Io-
 docus Clichtoveus , & Iacobus Faber , qui libellos
 ediderunt , de tribus Magdalenis , de quibus con-
 futare student receptam sententiam , velut erro-
 rem ridiculum , confirmantes suam sententiam
 veterum predictorū sententia , Origenis sc. Chry-
 sostomi , Theophylacti , Ambrosij & Hieronymi.
 Rossensis vero editis aliquot contra eos libellis ,
 valide convincit eorum rationes , Ecclesiasticam
 & communem sententiam defendens , atque o-
 stendens illorum opinionem non longe ab heresis
 crimine abesse , eo quod communem illam senten-
 tiam , omnium fidelium consensus , saltem taci-
 tus , videatur approbasse , imo & Ecclesiam officio
 suo Ecclesiastico palam definivisse : ut de quo ali-
 quando licite dubitatum est , jam amplius non
 debeat , nec possit in dubium revocari.

Iodocus Clichtoveus Neoportuensis,
 Canonicus Carnutensis, & Iacobus Faber
 Stapulensis, una cum Bilibaldo Pirckei-
 mero superiore seculo hanc controversi-
 am tractarunt : de Iacobo enim Episcopo
 Viēnensi cuius Stella & Vellofillus memi-

D nere

nere nil constat, & Faber quidem propterea quod inter alia librum scripsit: *De tribus Magdalenis, & una Magdalena*, adversarium nactus est Ioannem Fischerum Episcopum Roffensem in Anglia, qui ab Henrico VIII, quod in divortium eius consentire nollet, una cum Clarissimo viro, Thoma Moro, in senectute capite truncatus est 21. Iunij, A. C. 1535. Is inquam refutare Fabri & Clichtovei sententiam conatus est, & contra Fabrum quidem scripsit *libros tres pro una Magdalena*: contra Clichtoveum autem, *pro eadem librum unum*, prout in Bibliotheca sua Gesnerus refert. Ipsos enim hos libros nondum vidi. Quin & in Indice librorum prohibitorum, Romano, in Tridentina Synodo confecto, auctoritate Pij IV. primum edito, postea vero à Sixto V. aucto, & Clementis Papæ VIII. jussu recognito, p. 97. prohibitum lego, libellum *Iacobi Fabri de tribus Magdalenis*. imo propter hunc & alios libros à Facultate Theologica Parisiensi proscribitus est, & à Laurentio Forero inter semicatholicos refertur. Natalis Beda Theologus Paris. è collegio Montis Acuti, itidem contra Fabrum scripsit librum hoc titulo: *Natalis Bedæ Scholastica declaratio sententiæ & ritus Ecclesiæ de unica Magdalena.*

Sleid. lib. 5.
 Oberschlag
 über den
 Augapffel.

Anno

Anno 1519. Parisijs. Et Antonius Possevinus
 in Apparatu sacro ait: Iacobi Fabri Com-^{fol. 782.}
 mentaria in Evangelia, in Epistolas Pauli,
 in Canonicas, & in Psalmos, tractatus item
 De tribus Magdalenis, à Clemente VIII.
 Pontifice Max. in Indice prohibitorum
 librorum tam diu sunt prohibita, quam-
 diu ab alicuius Universitatis Catholicæ
 facultate Theologica, vel jussu Inquisiti-
 onis Generalis emendata prodierint in
 lucem.

Videamus igitur quibus tandem argu-
 mentis freti, hanc suam opinionem, de
 qua in sacris literis tam altum silentium,
 adeo rigide defendant. Et Baronius qui-
 dem eam probat, i. quia Maria Magdale-
 na unguentum ad sepulchrum Christi at-
 tulit, quod de ea Christus prædixerat: Ioh.
 12. *sine illam ut in diem sepulturae meae servet
 illud.* Ex hoc loco probare vult Magdale-
 nam Dominum unxisse, quod quidem
 bis factum esse volunt, semel apud Simo-
 nem Pharisaum, & iterum apud Simonem
 leprosum, de quo Matt. 16. Mar. 14. Ioh.
 12. Sed resp. In vulgata quidem versione
 ita legitur: sed longe aliud testatur textus
 Græcus. In eo enim ita legitur: Α'φες αυ-
 τω. εις τω ημεραν ε' εν ταφια μου με πετη-
 γηκεν αυτο. *In diem funerationis meae servavit*

D a istud,

Exerc. 15.
f. 12.

istud, ut Beza vertit. In diem pollinctura mea servavit illud, Casaubonus, in diem sepulturae meae conservavit, Ar. Montanus, ut & Erasmus, Castellio, Ofiander. In Arabica quidem versione, quae Romae prodijt in chalcographia Medicea A. C. 1592. itidem ut in vulgata legitur. Verum recte Casaubonus: Nos tyrones horum studiorum semel volumus monitos, illam Arabicam paraphrasin, quae magno alioquin bono literarum Romae prodijt recentem esse admodum, & multo meliores illa alibi reperiri, hanc vero nuper natam & Romae editam interdum $\rho\omega\mu\alpha\iota\zeta\epsilon\upsilon$. Et Exerc. 14. sect. 11. ubi de hoc loco agit: Arabem excipio, inquit, ante paucos annos Romae editum, qui hic, ut in alijs aliquot locis $\lambda\alpha\pi\upsilon\iota\zeta\delta$. Wolffg. Musculus comm. in Psalm. I. v. 4. & XIII. v. vlt. notat hanc non ex Hebraeo sed LXX. versione concinnatam esse, quod & observat Ioannes Lorinus Soc. Ies. Comm. in Psalm. praefat. c. 13. Deceptus igitur fuit vulgata versione Baronius, cum Christus non dicat, eam corpus suum post obitum uncturam, sed factum illius contra murmur Iudae defendat, utpote profectum ab ingenti amore & pietate, quodque mysticam haberet significationem mortis & sepulturae instantis,

ris, unde apud Marcum dicitur: *prævenit ungerem meum corpus ad funerationem.* Marc. 18, 8.

Secundum argumentum itidem adducit ex Ioanne, ubi hæc leguntur cap. XI. *Maria autem erat quæ unxit Dominum unguento, & extersit pedes eius capillis suis.* Per quæ verba insigniter testari Iohannem dicit, peccatricem Luc. 7. hanc Mariam fuisse, adeoque per hæc verba non aliam denotari unctionem quam quæ ibi in Galilæa facta, nam ait, *si non de illa quæ unxit in Galilæa intellexisset, non tantum eo signo quænam esset, non significasset, sed potius obscurasset ac confudisset.* Idem argumentum habet Barradius, qui Augustinum ita exponere dicit, l. 2. de consensu Evang. c. 79: *it. in Conc. Janssenius & Maldonat⁹ qui addit: Omnia argumenta reliqua, etsi multa sint, minus tamen quam hoc unum habere ponderis.* t. 2. l. 8. c. 13.
Evang. in
Matt. c. 26.

Resp. Iohannem non de alia hic agere unctione, quam de qua in cap. 12. agit. Hanc enim per anticipationem, quæ nusquam non occurrit, in sacris literis, hoc loco describit: in scripturis enim non esse prius aut posterius ipsemet Augustinus libro citato docet, Unde præteritum *Unxit*, non ad tempus rei gestæ, sed ad tempus quo scribebat Iohannes referri debet q. d. Hæc est Maria, quæ postea unguen-

tum effudit, cuius causa murmur exor-
 tum est inter discipulos. Unde nec Barra-
 dius diffitetur posse hoc modo exponi,
 sed quia hic accuratam Mariæ descriptio-
 nem esse putat, factumque singulare ac
 peculiare eius hic recenseri priorem ap-
 probat. Nos autem non putamus Iohan-
 nem accuratam Mariæ descriptionē hoc
 loco instituisse, potuisseque illam agnosci,
 non tam ex unctioe, quam quod nomi-
 netur Maria, & quidem illa Maria, quæ
 fuerit Lazari & Marthæ soror, deque cu-
 ius pietate Dominus in toto orbe ter-
 rarum prædicatum iri prædixerat. Labet
 adijcere Casauboni verba in h.l. *Non minus*
ait, potuit Iohannes cap. XI. Mariam denotare
nota unctioe, quam nondum narraverat:
quam Matthæus sub initio Evangelij Iudam nota
proditionis, quæ extremo demū libro describitur.
Sic autem ille cap. X. 4. Καὶ Ἰδὼς ὁ Ἰουδαεὺς
ὁ πρῶτος αὐτὸν qui Christum prodidit, postea
nempe: prorsus ut Ioannes ἡ ἀλείψασα, quæ un-
xit, postea. Marcus III, 19. Καὶ Ἰδὼν Ἰουδαεὺς
τὸν, ὡς καὶ παρέδωκεν αὐτὸν (qui etiam tradi-
dit ipsum:) hoc est ὁς ἡμεῖς πρῶτος δίδοναι qui
traditurus erat, ut loquitur Iohannes, in mentio-
ne Iudæ VI, 7. Quo etiam modo exponunt
Hunni⁹, Calvinus, Musculus, Beza, Aretius
alij. Imo ipsemet demum Ianssenius cuius
 c. 47. f. 312 *verba*

verba notanda, quia ad autoritatem Augustini à Barradio allatam respondet: *Sciendum tamen, ait Ianssonius, quod ratio Augustini non est omnino efficax. Nam Ioan. cap. II. dicens, Mariam fuisse, quæ unxit Dominum unguento, &c. videtur magis id dixisse de unctio- ne illa quam ipse postea describit cap. 12. Ibi enim eisdem jam utitur verbis? fuitque illa tum facta, cum ea scriberet Ioannes, quæ habentur cap. II. quamvis nondum facta fuerit, cum ea fierent, quæ ibi describit.* Tertium argumen- tum Baronij hoc est: Ungere pedes plane est inusitatum præsertim apud Iudæos. At hæc mulier pedes Domini unxit, quod antea fecit peccatrix. Luc. 7. E. hæc illa fuit.

n. 26.

Respondeo ad maiorem argumenti, eam plane falsam esse, Si enim adeo inusitata apud Iudæos hæc pedum unctio, qui fieri potuit, ut hæc femina quod ille statuit ter eam repetierit, & perduto luxu omnes reliquos homines superaverit? Imo Casaubonus sect. 12. prorsus contrarium probat, nempe non inusitatam, sed in frequenti potius usu talem unctionem apud veteres fuisse, quam etiam Gregorius Nazianzenus in sui temporis Christianis Orat. 43. improbet. quamquam Casaub. in hac pedum unctio- ne peculiare mysterium inesse

D 4 . statuit,

statuit, de quo ipse consulendus. Consequenter porro itidem in Baronij argumento vacillat, etiamsi enim concedatur inusitatam fuisse pedum unctionem, non tamen ex eo sequitur, eam quæ semel pedes Domini unxerit, semper id fecisse.

num. 28.

Ultimum Baronij argumentum hoc est: Certe ait, *etsi nulla alia subesset ratio, — — tamen ut justificetur Christus in sermonibus suis, ne falsi vaticinij (quod nefas est dictu) arguatur, affirmare necesse est, unam eandemque esse Magdalenam, nec diversas seu plures: dum unam tantum longe lateque per Orbem diffusa Ecclesia predicat Magdalenam, nempe quia Christus dixit, fore ut hæc mulier ad consummationem seculi prædicetur in Ecclesia. In Ecclesia autem nulla alia hodie eo nomine celebretur quam Maria Magdalena, ea propter negandum non esse putat, hanc illam fuisse, ut justificetur Dominus in sermonibus suis: quasi vero si hic Ecclesia erraret, Dominus non justificetur in sermonibus suis, & Domini sermones veri non maneant, nisi ab Ecclesia confirmentur. De scriptura sacra olim tradidit Card. Hosius, si auctoritate Ecclesiæ destituatur, non plus per se valere, quam fabulas Æsopi, Hic Cardinalis fere idem asserit, nempe absque Romana Eccle-*

Ecclesia foret, vacillaturam fidem vaticiniorum Christi, de quibus tamen nec apiculus ullus vel jota præteribit, sed in æternum manebit, si Servatori credimus. Nos potius scimus, quamdiu salva erunt Evangelia, tamdiu lectum in Ecclesia & prædicatum iri factum hujus Mariæ, quod nec Chrysoftom⁹ etiam si Baronianam sententiam non defendat, diffitetur, cujus ut & Theodoretⁱ verba apud Casaubonum legi possunt.

Hom. 80.

in Matth.

in Curat.

pass. Serm.

XI.

Barradius præter ea quæ jam allata sunt, hæc pro vulgata opinione adducit argumenta i. Nisi Maria Magdalena esset ista peccatrix, Spiritum Sanctum nõ fuisse permissurum, ut talis proclamaretur. Sed Resp. non permisit hoc Spiritus S. nec factum antequam puritas Religionis sensim labasceret. In primitiva enim Ecclesia altum de hac re silentium, quin ut mox dicemus, omnes fere Patres ante Gregorij M. tempora, vel reclamarunt hodiernæ opinioni, vel dubitarunt hac de re. quod præter alios fatetur Dionysius Carthusianus in c. Luc. 7. scribens: *Quæ fuerit mulier illa, aliquando inter expositores grandis disceptatio fuit: sed nunc sancta Ecclesia, cum B. Papa Gregorio tenet, quod fuit Maria Magdalena.* Ante igitur tempora Gregorij hoc non

D 5 passus

passus est spiritus S. Sed nec si permisisset, quicquam hoc veritati historiæ derogaret: multa enim talia in Ecclesia Romana hodie docentur, permittitque sp. S. doceri, quæ, ut & hoc ipsum, cum sacra scriptura adversis frontibus concurrunt, non quasi delectaretur mendacijs & erroribus, (quod absit ut unquam de eo cogitemus) sed quia veritatis amorē illi recipere non voluerunt: Ideo igitur misit ijs spiritus S.

2. Theff. 2, *ἐνεργείαν πλάνης* ut Apostolus loquitur, *verf. 11.* efficaciam erroris, ut ipsi credant mendacio, & damnentur omnes qui non crediderint veritati.

2. Ait, absurdum ignorari nomen istius fæminæ, quæ adeo Christum dilexit, prout describitur Luc. 7. Resp. Caussam, cur huius fæminæ nomen Lucas reticuerit, eam dant Patres & interpretes, ne si nominasset, postmodum peccatum ipsi exprobatum esset. *Quod Lucas non nominat, ait Iansenius facit honestatis caussa, sicut nec Mattheum, cum de vitio eius esset sermo, & ipsemet Barradius dicit, spiritum S. noluisse à Luca nomen peccatricis aperiri, ut doceret nos, crimina proximi charitatis velo tegere.*

loc. cit.

3. Ex Historia de Vita Magdalenæ, & Inscriptione sepulchri probat, de quibus
jama

jam supra egimus. Ferdinandus Vellofil-
lus Hispanus, Episcopus Lucensis, Adver-
tentis in tom. IX. D. Augustini, quæsito
Octavo, postquam varias de Magdalena
Patrum & Scriptorum opiniones recen-
suit, tandem dilabatur ad Ecclesiam, quæ
sic de ea canit:

fol. 122.

*Maria soror Lazari,
Quæ tot commisit crimina,
Ab ipsa fauce tartari.
Redit ad vitæ limina.*

Huic succinit Ianssenius Episcopus Gan-
davenſis, qui itidē ex officio Ecclesiastico
probat: & consensu Ecclesiæ: *Sequuta est
hanc sententiam post Gregorium, imo & ante
Gregorium universa per orbem Ecclesia, in Eccle-
siastico officio Maria Magd. tribuens ea quæ hic à
Luca narrantur.*

¶ Falsum hoc, ut mox ubi Patrum sen-
tentiam hac de re exposuerimus patebit
2. ipsemet supra contrarium dixit, de Ori-
gene, Chrystostomo, Theophylacto, Am-
brosio & Hieronymo, 3. in initio huius
quæstionis fatetur, apud veteres magnam
quæstionem de hac peccatrice fuisse: qui-
nam ergo universa Ecclesia Mariam
Magdalenam eam statuit?

Hactenus præcipua vidimus Pontifici-
orum argumenta quibus probare sata-
gunt,

gunt, Mariam Magdalenam fuisse & peccatricem illam magnam Luc. VII. & Mariam Lazari sorore quæ Christū paullo ante passionem unxerit. Videamus porro quædam, quibus hæc opinio infringi & confutari potest. Quod igitur Maria Magdalena non fuerit illa peccatrix, satis constat ex his quæ supra de illa ex Euangelijis vidimus, Quicquid præter ea vel ex Legenda, vel Officio Ecclesiastico afferri solet, de eo Hieronymi tritū illud usurpam⁹: *Quodcumque de scripturis sacris non habet auctoritatē, eadem facilitate rejicitur, qua admittitur.* Nemo enim hodie ignorat, quantum Legendis tribuendum sit, de quibus pluribus jam annis cordatiores Pontificij conquesti sunt, quod pro Historia fabula, pro Veritate Mendacium, pro Canonicis Apocrypha, pro Ecclesiasticis hæretica, pro ferijs joca, pro virtute Dei ficticia miracula & dæmoniorum portenta in his recenseantur, ut alicubi loquitur Claud. Espensæus. Videat qui velit, Septendecim egregios Autores Pontifici Romano alias addictos, qui hoc fatetur, apud D. Georg. Zeæmannum, in speculo miraculorum Pontificiorum. Sed nec Patres ante Gregorij M. tempora Pontificijs adstipulantur, quorum jam sententiam porro videbimus. Pri-

Tract. I.
Vos estis
sal terræ.

pag. 151.

Primus qui huius mulieris mentionem faciat, occurrit *Clemens Romanus*. cuius verba in *Constitut. Apostol. lib. 3. c. 6.* hæc sunt, ex interpretatione *Ioan. Caroli Bovij. Erat nobiscum ait, Mater Domini & sorores eius, præterea Maria Magdalena, & Maria Iacobi, Martha & Maria sorores Lazari, & Salome, & quedam alia.* In quibus verbis aperte distinguit Mariam Magdalenam, à Maria sorore Lazari. *Baronius* quidem loco citato, & alibi dicit, ab hæreticis multa in illis fuisse corrupta, quod nec ipsimet diffitemur: ex Pontificijs tamen plures reperiuntur, qui pro earum integritate & ingenuitate magno molimine pugnarunt, quos inter præcipui *Franciscus Turrianus, Gulielm. Sirletus & Io. Carolus Bovius. Stapletonus* ait, ipsum librum *Spiritu Apostolico plenissimum esse, Bristous, indubitatum Clementis opus esse. Copus summo Dei beneficio in lucem produsse.* Cum his ergo sociennis suis *Baronius* litiget, si quid in autoritate horum librorum desiderat.

Secundus est *Origenes* cuius hæc sunt verba tract. 35. in *Matth.* ex interp. *Ruffini:* *Multi quidem existimant de una eademq; muliere, quatuor Evangelistas exposuisse, quia conscripserunt tale quid de muliere, & omnes similiter alabastrum unguenti nominaverunt* —

Non

tom, r.

conc. edit.

Surij. f. 71.

Ann. 102.

num. 9.

Defens.

Ecccl. auth.

1. 2. c. 11.

In duplic.

adver. Ful-

con. c. ult.

Dial. 3. c. 9.

fol. 196.

Non est autem possibile, ut de eadem muliere exponentes Euangelistæ, cum essent consummati in eodem intellectu, & in eodem spiritu, & in eadem sententia, qui fuerant ministraturi salutem Ecclesiarum, contraria sibi dixissent, Et deinde postquam multis sententiam suam exposuisset, qua statuit, tres mulieres fuisse, quæ Christum unxisse leguntur, unam de qua Matth. c. 26. & Marc. c. 14. alteram de qua Lucas c. 7. tertiam de qua Iohannes c. 12, concludit: Ex his ergo & aliis, quæ & ipse poteris obseruare, certum est, quoniam aut sibi contraria dicunt Euangelistæ, aut quidam eorum mentiuntur: aut si hoc impium est credere, necesse est dicere, non de eadem muliere omnes conscripsisse Euangelistas, sed aut de tribus, aut de quatuor. Objicit Baronius, Origenem sanioris iudicij effectum, longe diversam firmasse sententiam: nimirum unam eandemque fuisse mulierem, quæ in domo Simonis unxit pedes Iesu, cum Maria sorore Marthæ, ac Magdalena, quæ ad sepulchrum cum unguento accessit. Id quippe ait Baronius ipse profiteretur in insigni illa ac tam celebri homilia de Magdalena, in qua totius Atticæ eloquentiæ vela pandit. Eadem habet Barradius, qui itidem celebrem illam homiliam citat. Et extat sane Homilia de Maria Magdalena inter opera Origenis, estque nona seu

l. 20.

f. 543.

f. 2. f. 318.

seu ultima inter Varias, in qua Autor Ho-
 miliaë Baronij sententiam propugnat: ve-
 rum an ea Homilia Origenis sit, valde in-
 ter eruditos dubitatur. In genere de his
 ipsis homiliis ita censet Erasmus: *In his
 constat quasdam esse non Origenis, sed hominis
 Latini: reliquas à Ruffino impudenter contami-
 natas.* Et de hac ipsa Bellarminus, de Script.
 Eccles. In Homilia de S. Maria Magdalena, *P. 56^{ed.} Col.*
*super illud: Maria stabat ad monumentum foris
 plorans: stylus plane est Latinus.* Imo idem ille
 noster Baronius, sanioris iudicij effectus,
 longe diversam firmat sententiam, dum
 in notis ad Martyrol. Rom. ait: *Inter alia de
 S. Mar. Magdalena Patrum encomia, celebrior
 habetur oratio ab Origene conscripta, quan-
 quam Latinum scriptorem potius redoleat.* Et
 certe legenti eam tot occurrunt indicia La-
 tine conscriptam esse, ut qui amplius tamē
 hic dubitare velit, helleboro opus habere
 videatur. Pauca saltem eius generis anno-
 tabo: *Desperando sperans, & sperando perseve-
 rans. Vocas eum & non audit, oras & non exaudit:
 Ut annunciet resurrectionem suam, & consolen-
 tur deplorationem tuam. Timeo ne amorem me-
 um magis impediunt, quam expediunt. Melius est
 mihi sepulcrum domini mei custodire, quam ab
 eo longius ire. O dolor miserabilis: amor inenar-
 rabilis. Amor quem habebat in te, & dolor quem
 habet*

22. Julij.

habebat pro te, excuset eam apud te, si forte erret de te. Hæc talia per totam orationem inveniuntur, unde videre est, non esse eam Origenis, aut alicujus Græci, sed Latini auctoris, & forte juvenis, & à scholæ declamationibus recentis. Nec igitur Origenes pro vulgata illa militat. Multo minus 3. Chrysoptom⁹, qui duas putat fuisse mulieres, qui Christum unxerunt, unam Luc. 7. quam eandem vult fuisse cum illa de qua Matth. c. 26. & Marcus c. 14. & alteram, apud Ioannem c. 12. Eius hæc sunt verba, Homil. in Matth. 81. interprete Aniano: *Hæc mulier una & eadem apud omnes Euangelistas esse videtur: meo autem iudicio eadem est apud tres: alia vero quedam & mirabilis Lazari soror apud Iohannem. Idem Homil. 61. in Iohan: Intelligendum est non fuisse sororem Lazari meretricem illam, de qua apud Mattheum & Lucam scribitur, sed aliam. Illæ meretrices & infames erant, hæc honesta & studiosa. In eiusdem Chrysoptomi operibus extant Homiliæ in Marcum, quas quidem eius non esse Sixtus S. Possévinus, Maldonatus & alij, putât: autor tamen earû Maldonato teste, ingenio, eruditione & iudicio non caret. In illarum decima quarta hæc habet. *Mulier ista quæ fregit alabastrum & ipsum unguentum fudit super caput, non est ipsa, de qua in*
*alio**

2. 2. edit.
 Froben.
 1547. f. 650.

3. 2. f. 1284.
 in Marc. c. 7

alio Evangelio dicitur, quod pedes Domini laveris. Illa enim quasi meretrix & peccatrix adhuc, pedes tenet: ista quasi sancta caput tenet. Illa quasi meretrix lacrymis suis pedes rigat Salvatoris & crinibus tergit.

4. Chrysofomū sequitur Titus Bostrensis, commentario in Lucam, qui itidem putat Peccatricem magnam non esse sororem Lazari, prout citatur à Barradiol. 8. c. 13. f. 543.

5. Æqualis Chrysofomi fuit Basilus Seleucia Episcopus, ita enim de eo Suidas: Βασίλειος ἑπερσελακείας, ἑταῖρος Ἰεροσόλων, πρὸς ὃν ἐν τοῖς περὶ ἱεροσολύμων ἀγγελίαι. quod & Photius testatur, (quos sequitur Jacobus Billius lib. 2. sacrarum Observat. c. 3. quamvis Socrates l. 6. c. 3. & eum sequuti Erasmus, & Germanus Brixius in argumento libri Basilium M. eum fuisse putent, qui cum in libb. de Sacerdotio Chrysofomus colloquitur. Vide Baron. ad ann. 382.) Hujus verba, quibus tres Marias in Evangelijs memorari affirmat hæc sunt. Οὐχ αὐτὴ ἦν ἡ πόρνη ἢ ἐν τῷ Μαθθαίῳ, ἔδὲ ἢ ἐν τῷ Λουκᾷ. ἀλλὰ ἢ αὐτὴ ἐκείνη μὲν ἢ πόρνη γυναικὲς ἦσαν, καὶ πολλῶν γέμεται κακῶν. αὐτὴ ἢ σεμνὴ ἢ σωδαια. h. e. Hæc non est illa meretrix, de qua legitur apud Mattheum, neque ea, de qua legitur apud

Homil. de
Lazaro.

E

Lucam:

Lucam; alia quædam hæc erat. Illæ enim meretrices erant, & multis vitiis scatebant: hæc verò gravis erat & honesta.

6. Eodẽ seculo IV. vixit Eusebius Cæsariensis, Pamphili alias dictus, qui itidem divulgata opinione dubitat, teste Casaubono Exer. 14. f. 11. & Anastasius in quæstionibus in scripturam, ex Eusebio ad Marinum pbat duas Magdalenas fuisse, prout citat Baradius f. 543. Baronius eum Pamphili saltem opinionem proponere dicit, ipsum tamen non prohibere, quin una eademq; dicatur. Sed nec sic tamen ei cum Baronio conveniet.

n. 21.

7. B Macarius Ægyptius Eremita itidem Mariam Lazari sororem à peccatrice distinguit, Homil. XII. cum ait: *Cum Dominus loqueretur, cum Maria, (sorore Lazari de hac n. agit) aut Zacchæo, aut peccatrice, quæ passis capillis abstergebat pedes Domini.*

Pag. 161. ed.
Francof.

8. Ambrosium citat pro vulgata opinione Baronius, qui quidẽ libro de Salomone c. 5. huius videtur esse sententię, quod Maria soror Lazari sit illa peccatrix Luc. 7. sed de Magdalena ibi ne verbulum quidem habet: Sic n. ait: *Dum largum in sanguine fluxum siccatur Christus in Martha, dum demones pellit ex Maria, dum corpus redivivi spiritus calore constringit.* Deinde dubitant docti an Ambrosius

c. 4. f. 459.

autor

autor sit hujus libri. Erasmo sane non
 videtur, qui in Censura tomi quarti ope-
 rum Ambrosij sic ait: *Hic quartus tomus com-
 plectitur scripturarum Explanations, in quibus
 est libellus de Salomone, argutus & eruditus, sed
 nonnihil dissonans à stilo Ambrosiano.* In Lu-
 cam quidem itidem eo inclinare videtur,
 quod una sit fæmina de qua hoc loco, &
 apud Matthæum & Marcum: ipsemet ta-
 men an una sit dubitat, quod nec Didacus
 Stella diffiteri audeat. Ita autem inquit:
*Hanc ergo mulierem inducit S. Mattheus supra
 caput Christi unguentum effundentem, & ideo
 forte noluit dicere peccatricem. Nam peccatrix
 secundum Lucam supra Christi pedes effudit un-
 guentum. Potest ergo non eadem esse, ne sibi con-
 trarium Evangelistæ dixisse videantur. Potest
 etiã questio meriti, & temporis diversitate dissol-
 vi, ut adhuc illa peccatrix sit, jam ista perfectior.*
 Sed etsi concedamus Ambrosium hoc
 sensisse, quod tamen illa ipsa Maria Mag-
 dalena fuerit, hic non traditur. Quin lib.
 10. in ult. caput Lucæ, etsi duas statuit
 Magdalenas aliam apud Iohannem, aliam
 apud Matthæum, quarum post resurre-
 ctionem Christi fiat mentio, quod tamen
 una ex his peccatrix illa sit, non dicit. Nec
 igitur Ambrosius illis suffragatur, quod
 nec facit

lib. 6. f. 77.

c. 5.

fol. 163.

9. Hieronymus qui duas statuit esse feminas, quæ Christum unxerunt, unam Peccatricem apud Lucam, alteram Mariam Lazari sororem, apud reliquas Euangelistas. Hanc eum Magdalenam putare, ex quæst. 4. ad Hebidiam probat Ianssenius, in qua ait: *Quatuor autem fuisse Marias in Euangelij legimus, unam matrem Domini saluatoris: alteram materteram eius, quæ appellata est Maria Cleopha, tertiam Mariam matrem Iacobi & Iose, quartam Mariam Magdalenam.* Ex hoc loco concludit, quia Mariæ Lazari sororis nulla hic mentio, putasse Hieronymum eam esse Magdalenam: verum incerta est hæc conjectura, potuit enim sub alia quadam contineri, & etiam si certa, tamen hoc non statuit quod sit famosa illa peccatrix, quod & Maldonatus fatetur.

10. Hieronymum sequitur Augustinus: sed nec is Pontificiorum sententiam apud r. 4. edit. probat, libro enim. 2. de conf. Euang. c. 79. Plant. f. 201 putat, peccatricem sororem Lazari fuisse, quæ bis unxerit Dominum, semel apud Pharisæum, & iterum apud Simonem leprosum, de qua Augustini sententia supra jam Ianssenij iudicium exposuimus: non autem Mariam Lazari sororem Magdalenam nominat. In tractatu autem c. 6. f. 146. 49. in Iohann. ipsemet de hac sententia dubitat:

dubitat : Ita enim loquitur : *Ecce ipsa soror Lazari, (si tamen ipsa est, quæ pedes Domini unxit unguento, & tersit capillis suis quos laverat lacrymis) melius suscitata est quam frater eius: de magna mala consuetudinis mole est liberata, erat enim famosa peccatrix.* Tomo etiam XI. extat Homilia, de peccatrice muliere, & de remissione peccatorum, quæ est XXII, sed nec ibi eam vel Lazari sororem, vel Magdalenam esse dicit.

11. *Leontium* quoque inter illos recenset Casaubonus, qui vel dubitarunt de veritate eius sententiæ, quam solam jubet haberi Baronius provera, vel aperte contrariam defenderunt.

12. De *Anastasio* supra jam & *Barradio* audivimus, eum in *questionibus in scripturas* Eusebij opinionem de duab⁹ Magdalenis approbare, & ita Baronij & vulgatam Pontificiorum sententia improbare.

13. Sequitur *Theophylactus*, qui tres distinctas feminas hic describi putavit, unã apud Lucam, alteram apud Matthæum & Marcum, & tertiam deniq; apud Iohannem. hic enim ait in Luc. c. 7. interprete Ioh. Oecolampadio, *Querunt multi, quot fuerint mulieres, quæ unxerunt Dominum unguento. Et alij dicunt, quod duæ fuerint, una scilicet apud Iohannem, quæ fuit soror Lazari, & alia apud Matthæ-*

um & Marcum, & nunc apud Lucam. Ego autem credo his, qui dicunt tres esse: unam quidem apud Iohannem ante sex dies Pasche, quae & soror fuit Lazari: aliam autem apud Matthaeum & Marcum, ante duos dies pasche; & tertiam illam de qua nunc Lucas, quae in media Euangelij praedicatione Dominum unxit. Quam eandem sententiam tradit etiam in Matth: c. 26.

in. cap. 26.

Matth.

de Script.

Ecclef.

Chron. juri

Græco-Ro

mano præ-

missa.

n 20. in

in Matt. 26.

14. Theophylactum prout tempore ita & sententia sequitur Euthymius Zygabenus. Floruit enim velut Bellarm. vult A. C. 1118. vel ut Marquardus Freherus 1199. Hic itidem à Vellafillo & Casaubono recensetur inter eos scriptores, qui de Pontificia Vulgata sententia vel dubitarunt, vel contrariam aperte defenderunt. Baronius & Maldonatus dicunt eum tres diversas fæminas posuisse.

Habes ergo, amice Lector, quatuordecim scriptores, nec eos proletarios, sed qui merito suo magno in Ecclesia loco & numero habentur, qui omnes exceptis ultimis duobus ante Gregorij Magni tempora vixerunt, qui vel aperte hanc sententiam impugnarunt Mariam Magdalenam esse vel infamem eam peccatricem Luc. 7. vel sororẽ Marthæ & Lazari Ioh. 12. vel de ea dubitarunt. Videamus nunc tertio: Vtrum illa sit ea mulier de qua Matthæus & Marcus tradunt.

dunt, quod itidem Christum unxerit, ille c. 26. hic vero c. 14. Nos itidem negative hic concludimus, statuimusque in his locis nullum aliud describi convivium, quam illud cuius mentionem Iohannes facit c. 11. & describit c. 12, adeoque hanc mulierem nullam esse aliam, quam Mariam, Marthæ & Lazari sororem, de qua supra probatum est, Peccatricem, aut Magdalenam non fuisse. Diversa quidem hæc convivia statuerunt, Origenes, Theophylactus & Euthymius, quos ex recentioribus sequuntur Baronius & alij, verum si accuratius inspiciamus textum, ex omnium circumstantiarum conveniētia idem convivium à Iohanne describi apparebit, quod apud Matthæum & Marcum scriptum reperitur. Primo enim, ut notat Ægid. Huñius in c. XII. Ioh. utrobique notatur temp⁹ passioni vicinū 2. Utrobique idem locus, nempe Bethaniā. 3. utrobique mentio fit unctionis 4. eiusdem generis unguenti 5. eiusdem murmuris discipulorum 6. eiusdem pretij, nempe 300. denariorum, 7. Eadem responsio Christi murmur reprimentis commemoratur. Et quidem si hæc diversa fuissent convivia, & in priori iam antea Christus mulierem istam defendisset, Iudamque obmurmurantem reprehendisset,

hendisset, postea tam paucis interiectis diebus non iterum ausi essent discipuli mulieris alterius idem quod prior fecisset faciētis factum reprehendere. Nec obstat, quod Baronius objicit, Iohannem loqui de VI. diebus, Matthæum autem & Marcum solum de duobus. nec enim hi expresse dicunt duobus diebus ante Pascha convivium hoc institutum esse, sed biduo ante Pascha Christum saltem eo accessisse. Convivij a. non ea propter meminerunt, quasi eo se tempore institutum, sed per *ἀνακεφαλαίωσιν* saltem de eo loquuntur, ut occasionem, qua Iudas commotus tam dira in Magistrum machinatus sit, lectori suggerant. Objicit itidem Baron. apud Matthæum & Marcum caput Christi unctum fuisse, apud Iohannem autem pedes. Verum utrumque potius factum esse videtur, ut vel primo pedes, deinde caput: vel vice versa inuncta sint: magnam enim ut Iohannes testatur habuit copiā unguēti, ita ut ex eius odore tota domus repleta sit. s. objicitur. Apud Iohannem solum Iudam murmurasse: apud Matth. & Marcum omnes. Sed familiare hoc est in sacris literis, ut quod unus facit, omnibus imputetur, prout constat ex Matth. 27, 44. ubi de ambobus latronibus per *synecdochen*

dochen dicitur, quod Christum in cruce blasphemaverint, cum tamen Lucas expresse doceat c. 24. unum saltem hoc fecisse. Et forte Iudas suo exemplo reliquos commovit, ut & ipsi hoc factum reprehenderent, præsertim quum prætextu pietatis, & curæ erga pauperes unctioem improbaret. Neque 4. quicquam obstat, quod de diversa domo Baronius tradit: unum nempe convivium in domo Simonis, alterum in domo Lazari esse habitum, ut pote in qua Martha Lazari soror ministraverit, quod etiam Chrysostronus docet, qui tamen rem in medio relinquit. Cum hoc incertum sit, nec de domo Lazari ullam Iohannes mentionem faciat. potuerunt ut vicinæ invitare esse, aut officij ergo sponte accedere, præsertim fratre invitato. Nicephorienim opinionem, qui Simonem Lazari patrem facit, nemo opinor probabit in tanto Evangelistarum hac de re silentio. Unum igitur & idem apud hos tres Evangelistas putamus describi convivium, in quam sententiam è veteribus inclinant Ambrosius, Augustinus, Gregorius M. Beda, & alij, ex recentioribus Maldonatus, Didacus Stella, Aretius, Musculus, Gualterus, & ex nostris, quem dixi. D. Huñius, D. Lyserus, D. Calixtus, D. Him-

E s melius,

melius, D. Hutterus & plures alij. Ut ita pateat nec hanc mulierem Mariam Magdalenam fuisse, prout vulgo traditur.

- Primus autem qui hanc opinionem seculo demum ineunte septimo introduxit est Gregorius M. Papa Romanus. Hic enim Homilia 25. in Evangelium Ioh. 20. *Adest testis divinæ misericordiæ hæc ipsa, de qua loquimur Maria, de qua Phariseus dum pietatis fontem vellet obstruere dicebat: Luc. 7. Hic si esset Propheta, &c. & Homilia 33. quæ est in Luc. c. 7. Cogitanti mihi de Maria Magdalena, flere magis libet, quam aliquid dicere. Quam eandem sententiam ructur lib. 6. Epist. 22. ad Gregoriam Cubiculariã Augustæ, & hom. 8. in Ezechielem. Imo hic primus Ecclesiasticum eius officium ordinavit, & ut hæc lectio ex Luca in eius Natali explicaretur instituit, ut supra ex Dionysio audivimus, Gregorium hunc sequuti sunt, discipulus suus B. Paterius lib. 2. sup. Lucam c. 62. Bernhardus, seu ut vult Barradius Petrus Damianus, Beda, Dionysius & alij: De Bernhar-do quidem Vellafillus loc. cit. notat, eum duas statuere Marias, quæ Christum unxerint, quoniam in Sermone in festo B. Mariæ Magdalenæ hæc verba habet: Est unguentū bonū quod Maria pedibus Saluatoris infudit: est & melius, quod eadē (si tamen eadem)*
- c. 3. f. 80. e- dit. Antvy.
- fol. 107.
- fol. 107.
- r. 2. f. 1085.
- fol. 318.
- fol. 244.
- super*

super caput recumbentis effudit: est & optimū,
 quod & ipsa preparavit toti corpori Christi.
 Verum Bernhardus non loquitur de di-
 versitate hujus fæminæ quoad Substan-
 tiam, seu Individuum, quod putet aliam
 esse quæ pedes, aliam quæ caput Servato-
 ris unxit, sed quoad Qualitates. Tum
 enim cum pedes unxit Maria, meretricem
 adhuc fuisse dicit, tum autem cum caput,
 sanctam & piam. Ecce verba eiusdem
 Doctoris mox sequentia: Neque enim eadem
 quæ unxit pedes, unxit & caput: cum illa meretrix
 nihil horum fecisse legatur, secundum illud:
 Verte impios, & non erunt. Sequitur ergo &
 hic vulgatam sententiam, de qua tamen
 dubitasse videtur, seculo decimo quinto
 Baptista Hispaniolus, vulgo dictus Mantuanus.
 Is enim libr. VII. Fastorum, dum Legen-
 dam Magdalenæ refert, fere ex aliena
 persona loquitur:

fol. 245.

Prov. 12.

Mens. Julio
de S. Magd.

*Illustri te stirpe satam, sub purpura &
 auro,*

*Transegisse ferunt teneros juveniliter
 annos.*

Item: --- --- male custodisse pudorem
 Dixeris. & iterum: -- assidue septem,
 quas dicere mos est

Cano.

*Canonicas modulis celebrasse suavibus
horas*

*Dicitur. Quin concludens hæc
addit,*

*Sunt qui turpe putent Marthæ infama-
re sororem,*

*Sed memorant alia quandam de gente
puellam*

*Nominis eiusdem, cui sic illuserit illa
Tempestate Venus, juvenum teterrima
pestis,*

*Gregoriumq; volunt, fædi qui criminis
author*

*Extiterit peccasse, velut peccasse Maro-
nem* (rem.

*Dicimus ob lesum castæ Didonis hono-
Sed quoniam Divi qui supra sidera
vivunt,*

*Non curant de se in terris quid fama
loquatur.*

*Nectar enim quo vescuntur dediscere
terras*

*Cogit& inducit perituri obli via mûdi,
Nos quoq; rumores hominum contem-
nimus istos.*

Et,

*Et, seu peccatrix fuerit, seu nescia culpa
Non dubitamus eam mensis accumbere*

Divum.

Hæc Mantuanus, cuius tempore in Ecclesia invaluit jam vulgaris opinio, quæ paulo post à viris eruditis impugnari cepit, quam etiam hodieque, etsi Novatorum Pyrrhonumque nomine ea propter à Baronio traducantur præ vulgata tumentur viri eruditione non minus quam iudicio præstantes, quorum testimonia coronidis loco adijcere lubet.

Et 1. *Casaubonus* quidem aliquot sectionibus Exercit. XIV. Baronianam opinionem confutat, maleq; eum unicam saltem fæminam, cuius omnes Euangelistæ meminere, vel eandem Mariam Magdalenam esse existimare ostendit. Non illum, inquit, *circumstantiæ movent longe diversissimæ, personarum, locorum, temporum: quæ contrarium potius suadent, non veterum Patrum auctoritas, qui diversis mulieribus, vel tribus, vel minimum duabus, has narrationes attribuerunt.*

2. D. *Iohannes Bugenhagenius* in Concord. Euang. de Resurr. Domini. p. 156. Non erit necesse plures suspicari Marias Magdalenas in Euangelistis. Est autem hæc Maria Magdalene Galilæa:

fol. 158.

Galilæa: Maria vero Lazari soror nunquam in Evangelicis literis inuenitur aperte Magdalene vocitata, quæ etiam non Galilæa, sed Iudæa est.

3. D. Polycarpus Lyserus. Harmon. Euāgel. c. 58. Quod quidam fingunt Mariam Magdalenam esse peccatricem illam modo (Luc. 7.) in gratiam receptam, & septem demonia intelligenda esse septem vitia capitalia, frivolum est. & concludit demum: Nos statuimus Mariam, quæ hic & alibi in Evangelica historia Magdalene cognomento insignitur, non fuisse sordidam illam & infamem peccatricem, sed obsessam quidē demonijs, cæteroquin autem honestā, nobilem & satis opulentam, quæ una cum alijs Dominum atque discipulos ex facultatibus suis aluerit.

4. D. Andreas Osiander, notis in Euang. Lucæ cap VIII. v. 2. Recepta est opinio, eandem fuisse feminam & peccatricem, & ex qua septem demonia sunt eiecta. Idque Gregorius etiam M. sensit. At vetustiores Patres, Origenes, Chrysostomus, Theophylactus, Ambrosius & Hieronymus, pro diversis habuerunt, estq; verosimilius.

5. Martinus Bucerus in cap. VII. Lucæ. Hanc peccatricem non fuisse Mariam illam sororem Lazari, cuius meminit Ioh. c. 12. à qua scribit unctum Dominum, quæque Dominum supplicium statim aditurum unxisse à Mattheo & Marco scribitur: sed neq; Galileam illam Mariam, de qua Lucas sequenti capite: facile deprehendunt.

dunt, qui & in Scripturis exercitati, & minime contentiosi sunt.

6. Iohannes Caluinus in cap. VIII. Lucæ. Cognomen Magdalena addidit Lucas, ut hanc à sorore Martha, alijsque Marijs, discerneret, quarum alibi fit mentio. Nam quod hæc non fuerit soror Lazari & Martha, nimis manifestum est, cum sit ex Galilea. Quod fuerit eadem, quæ precedenti capite peccatrix dicitur, ineptius est, quam ut sit diutius de hoc disputandum. Ineptissime vero omnium & indoctissime scribunt quidam, per septem demonia, significari septem peccata capitalia: quum aperte hic Lucas testetur à spiritibus immundis liberatas fuisse has mulieres.

7. Benedict. Aretius in Johan. c. XI. Quæ apud Lucam c. 7. extat historia, alia est, de peccatrice, Maria, quæ Luc. 8. recensetur, à qua septem Demonia Christus eiecit, Maria Magdalene dicta.

8. Wolffgangus Musculus in c. XXVI. Matth. Volunt quidam hoc factum idem esse cum eo, quod Luc. VII. ponitur, & diversum ab eo, quod Ioannes cap. XII. commemorat, de Maria sorore Martha: quidam vero, quod verosimilius est, volunt quod hic scribitur idem esse, quod Ioannes ponit, & diversum ab eo, quod Lucæ. 7. legitur.

9. Theodorus Beza not. in Ioh. 12. Ridicule hæc historia confunditur à nonnullis cum eo quod narratur Luc. 7. & hac occasione Mariam
Lazari

Lazari sororem, cum illa peccatrice, & cum Magdalena confuderunt.

10. Daniel Heinsius, Exercit. sacr. in c. XII. Ioh. p. 452. Tres fuisse feminas, qua Dominum unxerunt ex Evangelistis patet. De quibus multum disputarunt Patres. Alij enim omnes, ut Theophylactus & Origenes diversas, nonnulli omnes easdem esse volunt. Hanc ab illis separat Chrysostomus: Hieronymus non istam, sed qua dicitur ἀμαρτωλὸς (Luc. 7.) ab alijs seiungit. Augustinus omnes vult esse easdem, nisi quod hanc Luc. 7. bis officio hoc functam arbitratur.

Hæc etiam superioris & nostri seculi scriptores eruditissimi, quib⁹ facile plures eandem sententiam tuentes addi possunt: quorum autoritate si quis nondum movetur, vulgaremque istam cum Pontificijs & Postillis etiamnum in tanta eruditionis luce tuetur opinionem, is certe intelligere uix videtur — — — quid distent æra lupinis.

Nos in tam illustribus nominibus merito finimus, Lectoremque benevolum, ut si quæ in tanta diversa sententiarum varietate

σφάλματα forte occurrent, ea pro candore suo corrigere velit, serio

rogamus.

F I N I S.

97 179

X 2359.442

ULB Halle


3


007 106 378



VDTA

7





V. ILLUSTRIS
BILIBALDI PIRCKHEIMERI

Consiliarij Cæsarei & Patricij
Norimbergensis


DISSERTATIO

De
MARIA MAGDA-
LENA,

*Quod falso à quibusdam habeatur
pro illa peccatrice seu πόρνη.*

Accessit de eadem Quæstione
Uberior Disquisitio

NICOLAI BARINGII,
S. Theol. Doctorandi, & Eccle-
siastæ Hannoverani.



HANNOVERÆ,
Typis JOHAN-FRIDERICI GLASERI,
Anno c^o l^o c^o XLIV.

